cpt

1620.

VVLPINA IESVITICA,

hoc est

Censura ADMONITIONIS Sandæanæ de CAVTERIATA IESVITARVM CONSCIENTIA,

In quâ ostenditur

Tum ADMONITIONIS Nullitas, tum ipsius ADMONITORIS multiplex Mendacium, Malitia, Inscitia, Fraus & Hypocrisis.

Augustin. in Psal. 63.

Simulata innocentia non est innocentia, simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas: quia & iniquitas est, & simulatio.

Operâ & studio

IACOBI LAVRENTII, Verbi Dei NERDÆ Administri.

AMSTELREDAMI,
Ex Officina Henrici Laurentij, 1620.

Case
F
.39
.326
1620R

Augustinus Epist. 28. in initio.

Ad discendum quod opus est, nulla aetas sera videri potest: quia etsi Senes magis decet docere quam discere, magis tamen discere, quam quid doceant ignorare.

THE NEWBERRY
LIBRARY

48-1127

MAXIMILIANO SANDÆO,

Ieſuitæ Hypercolico.

EDidiſti Nundinis Francofurtenſibus præteritis *Admonitionem de Cauteriata Ieſuitarum Conſcientia ad Examinatorem Caſtigationis Sandæanæ Iacobum Laurentium Batavum Calviniſtam:* accepi eam, vidi ac legi. Primis pagellis lectis, admirabundus obſtupui: ita totum in limine ejus erga me te profiteris atque oſtentas amicum, benevolum, benignum, famæ meæ ac nominis ſtudioſiſſimum.

Haud ita pridem in utraque tua *Caſtigatione* ſupra modum immodeſtè, inhumaniter, virulenter, convitijs, dicterijs, atque exſibilationibus me excepiſti miſerrimè, totique Orbi in ſcenam produxiſti veluti *hominem alienati cerebri, calumniatorem manifeſtum, tenebrionem, impoſtorem, invere-* *Vide de his infra in cap. 1. num. ſive mendacio. 11.*
cundum, Pſeudolum, Lurconem, Batavum Palæmonem, Orbilium Hollandicum, Mævium Batavum ac olentem, Batavum Appionem, Aſinum Ariſtophanicum, Ariſtarchum, Momum, hominem inſultiſsimum, ſcurram diabolarem, ſacrilegum, ſacramentorium, mendaciſsimum

impostorem, nullius religionis, stolidum ac fraudulentum circulatorem, ostentatorem imperitissimum, hominem nihili, stupidum, ineptissimum nugatorem, delirantem, ludionem, insulsissimum disputatorem, cui sacramento mendacia formare non sit religiosum, hominem vanissimum, mendacissimum rabulam, denique, *quantum ex imis unguibus ad verticem summum ex fraudulentia compaginatum vel inscitia.*

Admonit. pag. 6. & 7. Nunc vero mutata linguâ & calamô, inquis, *Vide, Laurenti, & si nuces abjcere tibi deliberatum, me ama, quam indulgenter tecum mihi agere sit animus. Virgam non repeto: castigatio nulla imminet: semel castigatum Admonitio excipiet, blanda, mollis, pœnè cum verborum illecebris, ut nihil intentatum relinquatur, nec terga vertas, quasi exhorrescens patruæ linguæ verba. Pone metum, aliàs alijs, si vel patruissimus, nunc ne patruus quidem, patrem agam propemodum dissolutum, nam miseratum est, & amori dare ludum placet.*

Mirabar itaque de tam subitâ ac repentina in IESVITA mutatione: & dicebam apud me: Eheu, quantum mutatus ab illo! *Ierem. 13. 23.* hæsitanti mihi varia subit cogitatio: Num æthiops mutavit pellem suam aut pardus macu-

maculas ſuas? Num lupus factus eſt ovis? Num Saulus converſus eſt in Paulum? Vel forte non eſt Caſtigationis & Admonitionis unus Author: quod nunquam tam evidenter ex ſtyli diverſitate in Patrum Scriptis de Pſeudopigraphis collegit Eraſmus. Tandem mihi incidit S. Bernardi de Hæreticis Hypocritis dictum: *Hi oves ſunt habitu, aſtu* VVLPES, *actu & crudelitate lupi: Hi ſunt qui boni videri, non eſſe: mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali ſunt, & boni videri volunt, ne ſoli ſint mali: mali videri timent, ne parum ſint mali. Etenim minus ſemper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, niſi boni ſimulatione deceptus eſt. Ita ergo in malum bonorum boni apparere ſtudent: mali nolunt, ut plus liceat malignari, neque enim eſt apud eos virtutis colere, ſed vitia colorare quodam quaſi virtutum minio.* Atque in hoc ſenſu me confirmavit integræ Admonitionis lectio: ex qua meram VVLPINAM ac pias fraudes, quas ex profeſſo docetis vos leſuitæ, ſubeſſe deprehendi, ad decipiendum lectorem incautum ovinâ à te, Sandæe, ad punctum temporis aſſumptâ.

Auguſtino Saulus eſt, tumidus & arrogans: Paulus, parvus & humilis. Ambroſio Saulus eſt, inquietus & alios inquietans: Paulus, quietus & tranquillus. Bernard. Serm. 66. in Cantica.

Totam atque integram *Admonitionem* fruſtatim deartuare hoc tempore non eſt mihi conſilium: quia ſi poſt accuratam li-

bri alicujus refutationem, quoties denuo Calphurnia linguam exerit, rursus refellendi singula mos repetatur, nullus erit scribendi finis, & in infinitum hoc in campo decurrere necesse est, quod non est Sapientis; maximè vero, quia certissimum jam indicium in te habeo, vobis IESVITIS in loquentia spem habentibus, nunquam verba defore, quorum prodigi, vt malis disputatoribus contingit, dum rationibus succumbitis, nescitis conticescere, ut ultimum saltem eructasse vos gloriemini.

Itaque tantum VVLPINAM, quæ hic latet, detegere institui, & brevem *Censuram* hoc nomine adornare visum fuit, quæ *mendacia, malitiam, inscitiam, fraudem, & hypocrisin* tuam ob oculos ponens, simul quoque *Nullitatem* tuæ *Admonitionis*, & vanitatem ejus solidissimè demõstret. Quis enim auscultet vel sequatur Monitorem mendacem, malitiosum, inscium, fraudulentũ, hypocritam? ignosce, Sandæe, si hæc paululũ acerbiora tibi videantur, & cave convitiari me dixeris. tua ipsius in *Admonitione* vox est, *convitium non dicitur cum veritas testata profertur*. Nota quoq; Comici est sentẽtia:

In Admonit. pag. 127. in margine.

Indignis si maledicitur, maledictum id esse dico:
Verũ si dignis dicitur, benedictũ est meo quidẽ animo.

CA-

CAPVT PRIMVM.

De Mendacijs.

PRimum *mendacium* est, cum *pag. 1. Admonitionis* affirmas, me *Apologeticũ* meum, quem Verno mercatu hujus anni in lucem dedi, *superioris Autumnali callidè librorum Catalogo intexi procurasse.* quia ego illorum librorum Catalogo juxta morem & consuetudinem eum intexi volueram ac curaveram, qui futuris seu proximis Nundinis ederentur, hoc est, illis ipsis quibus postea est editus. quod aliter factũ, non mea vel fraus est vel calliditas, sed incuria librarij. *I. Sandæi mendaciũ.*

Secundum mendacium est, cum *pag. 7.* scribis, SEMEL *castigatum* ADMONITIO *excipiet.* Nam ante hanc tuam *Admonitionem.* jam alteram Castigationem contra me in lucem dederas: ac per hoc Admonitio tua me excepit non *semel*, sed bis à te castigatum, & quidem acerrimè. *II. Sandæi mendaciũ.*

Tertium mendacium est, cum *pag. 11.* scribis, in Calvini Schola seu Palæstra *ceu artis novæ præceptionem constitutum esse, mentiri non modo licitum esse, sed nonnunquam necessarium.* Signa librum vel locum, homo inverecundè, impudens Iesuita, ubi ita Calvinus doceat, vel ita Schola ac Palæstra Calvini præcipiat. Nondum, ut scias, tam malè cum genere humano agitur, ut simplex calumniatoris affirmatio, sit veritatis robur. *III. Sandæi mendaciũ.*

Equidem nobis, quos Calviniſtas vocatis, cum Calvino Sacrosanctæ Scripturæ, quia ipsius Dei, est authoritas, dicentis, *verbum mendax justus detestabitur: os quod mentitur occidit animam: abominatio* *Prov. 13. 5. Eccl. 2. 14. Pro. 12. 22.*

Coloſ. 3. 9. Eph. 4. 25. *eſt Domino labia mendacia*; & monentis, *nolite menteri*, ſed *deponentes mendacium loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo.* Itaque & ipſius Calvini pia ac religioſa eſt inſtitutio lib. 2. cap. 8. ſect. 47. *quoniam mendacium Deus, qui veritas eſt, execratur, veritatem ſine fuco eſſe inter nos colendam.*

Calvinus.

Laudamus cum Hieronymo mulierem iſtam ſepties ictam, quæ falsò à marito adulterij accuſata *ſexu fortior ſuo cum eculeus corpus extenderet, & ſordidas fatore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent, oculis, quos tantum tortor alligare non poterat, ſuſpexit in cælum, & volutis per ora lachrymis, Tu, inquit, teſtis es Domine Ieſu, cui occultum nihil eſt, qui es ſcrutator renis & cordis, non ideo me negare velle, ne peream, ſed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu miſer homo* (alloquitur adoleſcentem de eodem ſcelere falsò accuſatum, & qui tormentorum impatiens, confeſſus erat quod non admiſerat, ac mentitus ſe reum & illam) *ſi interire feſtinas, cur duos interimis innocentes? equidem & ipſa cupio mori, ſed non quaſi adultera: præſto jugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram: non moritur quiſquis victurus occiditur.* Cum autem Conſularis duplicari tormenta juberet, *una interim ejus vox erat, cæde, ure, lacera, non feri, ſi dictis tollitur fides, veniet dies quæ hoc crimen diligenter diſcutiat.*

Hieronymus Epiſt. ad Innocentium quæ incipit, Sæpe à me.

Idem ibid.

Laudamus quoque cum Auguſtino Epiſcopum quondam Tagaſtenſis Eccleſiæ, qui *Firmus nomine, firmior voluntate: nam cum ab eo quereretur homo juſſu Imperatoris per apparitores ab eo miſſos, quem ad ſe confugientem diligentia quanta poterat occultabat, reſpondit querentibus, nec mentiri ſe poſſe,*

Auguſtin. lib. de mendacio cap. 13.

posse, nec hominem prodere, passusq; multa tormenta corporis permansit in sententia: Deinde ad Imperatorem ductus usq; adeo mirabilis apparuit, vt ipsi homini quem seruabat, indulgentiam sine difficultate impetraret.

Intelligis, opinor, Sandæe, quam longè Schola ac doctrina Calvini absit à mendacio, vel mentiendi licentia, & tuum manifestum mendacium agnoscis in hac calumnia. Breviter. Nullum omnino mendacium statuimus esse vel bonum, vel licitum; sed omne prorsus dicimus ac docemus esse malum, peccatum, illicitum, qualecunque tandem illud nominetur, sive jocosum, sive utile, sive officiosum, sive necessarium, sive aliud quodcunque.

Cum Augustino disertè pronunciamus: *mendaciorum genera multa sunt, quæ quidem omnia universaliter odisse debemus: nullum est enim mendacium, quod non sit contrarium veritati. Nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, justitia & iniquitas, peccatum & rectè factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors: ita inter se sunt veritas mendacium q; contraria. unde quanto amamus istam, tanto illud odisse debemus. Quisquis autem esse aliquod genus mendacij quod peccatum non sit putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum honestam se deceptorem arbitratur aliorum.* Quid enim *an aliquando bonum est mendacium vel aliquando mendacium est non malum? cur ergo scriptum est, odisti Domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium? non enim aliquos excepit, aut indefinite dixit, perdes loquentes mendacium, vt quosdam, non omnes intelligi sineret, sed universalem sententiam protulit, dicens, perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

Augustin. lib. contra mendac. cap. 3.

Idem lib. de mendacio cap. 21.

Idem lib. contra mendac. cap. 1.

cium. An quia non dictum est, perdes omnes qui loquuntur omne mendacium, vel qui loquuntur quodcunque mendacium, ideo putandum est locum alicui relaxatum esse mendacio, vt scilicet sit aliquod mendacium, quod qui loquuntur non eos Deus perdat, sed eos omnes perdat, qui loquuntur injustum mendacium, non quodcunque mendacium, quia invenitur & justum, quod utique laudis debet esse, non criminis? Absit sanè: nam æquè disertè scriptum est apud Ecclesiasticum, *noli velle mentiri omne mendacium.* hoc est, nullum, more * Hebræo. Ex quo quidem testimonio, quia Scripturæ Canonicæ consentaneum est, cum eodem Augustino insuper concludimus, *usque adeo generaliter omne mendacium esse detestandum, vt etiam si quis mentiri velit, etiamsi non mentiatur, jam voluntas ipsa damnanda sit.* quia dictum non est, noli *mentiri* omne mendacium, sed, noli *velle mentiri* omne mendacium; *vt non solum mentiri, sed non velle mentiri quisquam audeat ullo mendacio.*

Eccl.37.20.

** qualem vide etiam Matth.24. 22.*

Rom.3.20. Gal.2.16.

Augustin. lib. de mendacio cap. 16.

Idem ibid.

Proprius quidam Origenis atque Origenistarum, si nescias, Sandæe, error est, ex Platonis Philosophia hausius, esse quoddam mendacij genus non modo licitum, sed etiam bonum ac laudabile: & utriusque consilium, vel præceptum fuit, *mendacio quasi condimento ac medicamento uti:* nempe magni cujuspiam vel boni acquirendi vel mali propulsandi causa: uti patet non solum ex ipso Platone lib. 3. de Repub. & ipso quoque Origene lib. 6. stromatum: sed testatur quoque disertis verbis Hieronymus lib. 1. Apolog. adversus Ruffinum. Et Origenem in hac sententia secutus est ex Veteribus Cassianus, de quo sic Iesuita Maldonatus: *Cassianus author Catholicus & bonus, Christum verè putavit esse mentitum,*

Plato.

Origenes. Hieronymus

tum, licereque nobis aliquando ejus exemplo mentiri. Nec *ab ista opinione*, inquit Iesuita Pererius, *removendus videtur S. Chrysost. quẽ vt Magistrũ discipulus secutus est Cassian.* Denique sic olim quoq; hæretici *Priscillianistæ sentiebant licere aliquando mentiri:* teste Senensi in Bibliotheca lib. 3. & Maldonato in Luc. 24. 28. nec non ipso quoque Augustino in libro contra mendacium Cap. 2. & 13. (*ui sententiæ comprobandæ*, inquit Augustinus, *adhibent testimonia de Scripturis, exhortantes suos ad mentiendum, tanquam exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Angelorum, non dubitantes addere, etiam ipsum Dominum Christum, nec se aliter arbitrantur veracem suam ostendere falsitatem, nisi veritatem dicant esse mendacium.* Contra quem errorem & hæresin nos cum eodem rursus Augustino ibidem dicimus ac declaramus, *redarguenda sunt ista, non imitanda, nec in eo malo debemus Priscillianistarum*, Platonicorum, Origenistarum, *esse participes, in quo cæteris hæreticis convincuntur esse pejores.*

Pererius in Gen. 27. 18. 19. disp. 2. num. 53.

Senens. lib. 3. Biblioth. methodo 19.

Augustin. contra mendacium cap 2.

Priscillianistæs in hoc imitantur prorsus hodie Iesuitæ in suo dogmate de Æquivocatione.

Augustin. ubi ante.

Quartum mendacium est, cum *pag. 20. & 23.* scribis, Protestantium esse dogma, *licere Reges & Principes, nisi se ad libellam inductæ superstitionis conforment, populariter interimere*, atque adeo *ex religionis suæ privilegio posse se Reges & Principes deponere, expellere, interficere, si quando sint luxuriosi, sive stolidi, sive infideles, sive Pontifici adhærentes, sive superstitiosi, id est, Romano-Catholici, sive, cum superstitionem, id est, ceremonias Ecclesiasticas, non extirpant: aut ea faciunt, quæ Reges, Ministrorum Verbi judicio, non decent, ac in Tyrannos degenerent.*

IV. Sandæi mendaciũ.

Mendacium, ut tuis hic utar verbis, spissum, dolo-

doloſum, palpabile. Omnium (abſque ulla prorſus Hyperbolè) Proteſtantium, quæ unius Calvini, una atque unanimis doctrina atque ſententia eſt: *Is ſemper hominum animis ingenitus: fuit ſenſus, non minore Tyrannos odio atque execratione inſectari, quam dilectione & veneratione proſequi legitimos Reges. Verum ſi in Dei verbum reſpicimus, longius nos deducet, vt non eorum modo Principum imperio ſubditi ſimus, qui probè & quâ debent fide munere ſuo erga nos defunguntur: ſed omnium qui quoquo modo rerum potiuntur, etiamſi nihil minis præſtent, quam quod ex officio erat Principum.* Rurſus. *In homine deterrimo, honoreq́, omni indigniſſimo, penes quem modo ſit publica poteſtas, præclaram illam & diuinã poteſtatem reſidere, quam Dominus juſtitiæ ac judicij ſui miniſtris verbo ſuo detulit: proinde à ſubditis eãdem reverentiâ & dignatione habendum, quantũ ad publicam obedientiam attinet, quâ optimum Regem, ſi daretur, habituri eſſent.* Rurſus. *Cum audimus à Deo impoſitum eſſe Regem ſi illa de honorando & timendo Rege cæleſtia dicta animo repetamus: & nequiſſimum Tyrannum non dubitabimus eo habere loco, quo Dominus ipſum dignatus fuerit.* Rurſus. *Videmus quanta obedientia Dominus tetrum illum ferocemq́, Tyrannũ* (loquitur de Nabuchadnezar Rege Babel) *coli voluerit, non alia ratione, niſi quia regnum obtinebat. id autem ipſum erat cæleſti decreto, in ſolium regni impoſitum eſſe ac in regiã majeſtatẽ aſſumptum, quã violare nefas eſſet. Hoc nobis ſi aſſidue ob animos & oculos obverſetur, eodẽ decreto conſtitui etiã nequiſſimos Reges, quo Regum authoritas ſtatuitur: nunquam in animum nobis ſeditioſæ illæ cogitationes venient, tractandum eſſe pro meritis Rege; nec æquum eſſe ut ſubditos ei præſtemus, qui viciſſim Regem*

Calvin. lib. 4. Inſti. cap. 20. ſect. 24. & 25.

Idem ibid. ſect. 25.

Idem ibid. ſect. 26.

Idem Ibid. ſect. 27.

gẽ nobis non præstet. ac deniq; conclusivè. *Quare si à sævo Principe crudeliter torquemur, si ab avaro, aut luxurioso rapaciter expilamur, si ab ignavo negligimur, si ab impio deniq; & sacrilego vexamur ob pietatẽ. subeat primũ delictorũ nostrorũ recordatio, quæ talibus haud dubiè Domini flagellis castigantur; inde humilitas impatientiam nostram frænabit; succurrat deinde & hæc cogitatio, non nostrum esse hujusmodi malis mederi: hoc tantũ esse reliquum, vt Domini opẽ imploremus, cujus in manu sunt Regũ corda & Regnorum inclinationes. Nobis autem interim summopere cavendum, ne illam plenã venerandæ majestatis Magistratuum authoritatem, quam Deus gravissimis edictis sanxit, etiamsi apud indignissimos resideat, & qui eam sua nequitia, quantum in se est, polluunt, spernamus, ant violemus: Neq; enim si nulla Domini est effrænatæ dominationis conectio, ideo protinus demandatam nobis arbitremur: quibus nullum aliud quam parendi & patiendi datum est mandatum.* Idem ibid. sect. 29. & 31.

Tantũ itaq; à nefario isto dogmate de Regicidio, Tyrãnicidio, & Principũ internecione absunt revera Protestãtes, quã qui maxime: ac proinde tantã calũniam falsò ac mendaciter in nos ad excitandam invidiam à vobis IESVITIS jactitari facile & sufficienter subscriptione unius probamns anathematis.

Ad ea vero, quæ tu, Sãdæe, ex Calvino, Beza, Paræo, Arætio, & alijs Protestantium Theologis mala fide, parique conscientia in contrarium non tam producis quam citas, nunc non respondeo, quia Apologeticum non conficio, sed tantum de fide atq; authoritate tuæ *Admonitionis* discepto. interim de duobus breviter te admonitum cupio.

Vnum est, ut in citationibus nostrorum Scriptorum in posterum sis paulo accuratior, ut ita

bonà

bonâ fide ac scientiâ certâ te in disputatione agere appareat; quæ enim, exempli causa, ista probatio, quæ citatio est, ac præsertim in crimine tam gravi quale est Regicidium? *Ioannes Sleydanus in Historia sui temporis.* quasi ego tibi dicerem *Baronius in Annalibus.* Batavicum proverbium nosti, Batave, *een Cray op een boom.* & talis in plerisque tuarum citationum esse soles. Divisit ac distribuit Sleydanus universam sui temporis historiam in libros viginte sex, singulo anno in singulis annotato. itaque non ita in incertum relegandus à te fuerat lector, sed & liber & annus fideliter assignandus.

in Admonit. pag. 21.

Alterum est, ut in citationibus nostrorum Doctorum in posterum etiam sis fidelior: namque Regicidium docere proba Theodorum Bezam in *Epistolâ quadragesimâ primâ*, hoc est, in illâ, in quâ ne minima quidem vel Regum, vel Magistratuum, vel eorum quæ huc pertinent, fit mentio, sed tantum Beza disputat de quæstione illa Theologophysica, *An anima sit ex traduce?* Sed aliorum, sine dubio, tu hic fisus fide, propriam fidem prostituis tuam.

ibid. pag. 22.

Quintum mendacium est, cum *pag. 37.* scribis, quod doctrinam de Regicidio *nullus è Iesuitis habeat*; non etiam eam *tradere Marianam.* Nam scelleratam istam atque impiam doctrinam tradit expressè idem ipse Marianas *in libro de Rege & Regis Institutione*, ac nominatim *lib. 1. cap. 6. & 7.* quod solide ex ipso textu, atque adeo ex ipsa quoque Iesuitarum Societate, nec non publico Theologorum ac Magistratuum Pontificiorum probabimus infra in Capite 5. seu ultimo, *de Hypocrisi, Num. 1.* Interim tu hic, Sandæe, duplex tuum agnosce mendacium: nam & tradit de Regicidio doctrinam

V. Sandæi mendacia, & quidem duplex.

trinam *Mariana*, & fuit hic Mariana *Iesuita*.

Sextum mendacium est, cum *pag. 52.* scribis, quæstionem inter nos esse, *An major sit Augustini authoritas asserentis quippiam esse Scripturæ consentaneum, quam Lutheri, Calvini, Bezæ, illorumque asseclis negantibus.* Item. *An propterea conscientiæ cauteriatæ, vel hæretici Iesuitæ sint, quia cum Augustino, & non cum Novatoribus sentiunt.* utrumque falsum & ad invidiam mendaciter confictum. *VI. Sandæ mendaciū, & rursus duplex.*

Non ideo, Sandæe, vos Iesuitæ, conscientiæ cauteriatæ vel hæretici estis, quia cum Augustino, & non cum Novatoribus, hoc est, nobiscum sentitis: sed ideo *cauteriatæ conscientiæ*, quia dolo malevolentiæ aliud scitis & aliud profitemini: ita enim cauteriatam conscientiam describit verè Ambrosius, *hoc est*, inquit, *simulatione corruptam: quia sicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit, ita & fallacia conscientiam, quæ dolo malevolentiæ aliud scit, & aliud profitetur.* *Ambrosius in 1. Tim. 4. 1.*

Ideo etiam *hæretici*, quia pertinaciter multa docetis contra veritatem fidei: ita enim hæresin ipsi vos describitis, atque adeo etiam ipse tu: unde etiam ἑτεροδοξίαν, sive ἑτεροδιδασκαλίαν eam vocat Apostolus. Et sanè tantum abest ut ideo nobis sitis hæretici, quia non sentitis nobiscum, ut è contra, si sentiretis nobiscum, hoc ipso vel vos esse hæreticos, vel nos non esse hæreticos omnino sit impossibile: in promptu ratio est, quia nos verè orthodoxi sumus & Catholici: vos autem verè hæretici estis, & acatholici, vel, si mavis, cacolyci: ita enim κάκους, sive, βαρεῖς λύκους, hæreticos appellat S. Paulus *Act. 20. 29.* *Sic Tolletus in Instruct. Sacerd. lib. 4. cap. 3. & Sandæus in Castigat. Consc. pag. 399. 1. Tim. 1. 3. & 6. 3.*

Cum verò nos *Novatores* vocas, more vestro facis, simulque etiam in eo jam falsi crimen commit-

mittis. Nos equidem Novatores non sumus, sed tantum contra iniquam, vestram de consuetudine ac vetustate gloriationem cum Tertulliano, Cypriano, Augustino, Hieronymo, & alijs Patribus humiliter dicimus, ac sanctè: *Veritati nemo præscribere potest, non spacium annorum, non patrocinium personarum, non privilegium regionum. Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit; si semper Christus, & prior omnibus, aquè veritas sempiterna & antiqua res; Hæreses non tam novitas, quam veritas revincit: quodcunq; ergo adversus veritatem sapit, hoc erit hæresis, etiam vetus consuetudo. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. Pagani antiquitatis causa verum se tenere contendunt, quasi antiquitas, aut vetus consuetudo præjudicet veritati: cum veritatis ratio non ex consuetudine quæ est ex vetustate, sed ex Deo sit, qui non vetustate probatur, sed æternitate; Subtilitate & astutia factum est Sathanæ, ut per traducem antiquitatis commendetur fallacia. Itaq; nec Parentum, nec majorum error sequendus est, sed authoritas Scripturarum, & Dei docentis imperium.* in vos vero Romanos novos etiam verò, quadrat illud quod de priscis Romanis olim dixit idem Tertullianus, *laudatis semper antiquitatem, & novè de die vivitis.*

Tertullianus de Velanda Virginitate in initio.

Cyprianus in Epist. ad Pomp.

Augustin. in quæst. V. & N.T. quæst. 114.

Hieronymus in Ieremiæ lib. 2. cap. 9.

Tertull. in Apolo. cap. 6.

Sic porro quoque Augustino nos nequáquam vel comparamus, vel præponimus, nec autoritatem eius, præsertim vbi Scripturæ sacræ docet consentanea ullo modo vel parvi facimus, vel contemnimus, sed eo loco habemus Augustinum, quo ab orthodoxis Theologis haberi debet, atque etiam ipse se à nobis haberi voluit; ac proinde de Augustino cum Augustino dicimus, ac dico id quod de Cypriano

in ca-

in casu prorsus eodem idem dixit Augustinus: *Ego hujus Epistolæ* (Cypriani) *authoritate non teneor quia literas Cypriani non vt Canonicas habeo, sed eas ex Canonicis considero, & quod in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio, quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. Ac per hoc, si ea quæ commemorasti ab illo ad Iubajanum scripta, de aliquo Apostolorum vel Prophetarum Canonico recitares, quod omnino contra dicerem non haberem: nunc vero quoniam Canonicum non est quod recitas, ea libertate ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri cujus laudem consequi non valeo, cujus multis literis mea scripta non comparo, cujus ingenium diligo, cujus ore delector, cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit non accipio:* Rursus. *Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cum ejus quaslibet literas à Canonica divinarum Scripturarum authoritate distinguimus: neq; enim sine causa tam salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, & secundum quos de cæteris literis fidelium vel infidelium liberè judicemus,* Rursus. *Nō me terret authoritas Cypriani quia reficit humilitas Cypriani: magnum quidem meritum novimus Cypriani, Episcopi & martyris, sed numquid maius, quam Petri Apostoli & Martyris?*

Augustin. contra Crescen lib. 2. cap. 32.

Idem ibid. cap. 31.

Idem contra Donatistas lib. 2. cap. 1. vide etiam similia ibid. cap. 2. & 3.

Idem in Epist. 111. ad Fortunatianum. Vide etiam similia in Epist. 48. & 112. & contra Faustum lib. 11. cap.

Talis, inquit idem ipse, *ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum; Neq; enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Cononicas habere debemus, vt nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atq; respuere, si forte invenerimus*

quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab alys intellecta vel à nobis. Quocirca, inquit, præter Canonicos *alios ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinâq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed qua mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt.* Ac per hoc de se ipso quoque ac suis scriptis sic expressè sæpius: *Noli meis literis quasi Scripturis Canonicis inservire, sed in illis & quod credebas, cum inveneris incunctanter crede; in istis autem quod certum non habeas, nisi certum intellexeris, noli firmiter credere. Noli meas literas ex tua opinione vel contentione, sed ex divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri deprehenderis, existendo non est meum, at intelligendo & amando & tuum sit & meum; si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum, sed jam cavendo nec tuum sit, nec meum.* Rursus. *Nolo authoritatem meam sequaris, vt ideo putes tibi aliquid necesse esse credere, quoniam à me dicitur, sed aut Scripturis Canonicis credas, si quid nondum quam verum sit vides, aut interius demonstranti veritati, vt hoc plane videas.* Rursus. *Negare non debeo, sicut in ipsis Majoribus, ita multa esse in tam multis Opusculis meis, quæ possint justo judicio, & nulla temeritate damnari.* Rursus. *Neminem velim sic amplecti omnia mea ut me sequatur, nisi in ijs quibus me non errare perspexerit: nam propterea nunc facio libros in quibus Opuscula mea retractanda suscepi, vt nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem.* Ac denique. *In omnibus literis meis non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero, & sicut lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita correctorem nolo sibi;*

Idem Epist. 19. ad Hieronym.

Idem lib. 3. de Trinitate in Prologo.

Idem in Epist. 112. ad Paulinum.

Idem lib. 4. de Anima cap. 1.

Idem lib. 2. de bono persever. cap. 21

Idem lib. 3. de Trinit. in præm.

ill

ille me non amet amplius quam Catholicam fidem, iste se non amet amplius quam Catholicam veritatem. Hæc ipse Augustinus, atque adeo ex Augustino de Augustino & alijs Patribus cum Augustino & alijs Patribus similiter Protestantes.

Septimum mendacium est, cum *pag.57.* scribis, quod vester Thomas Aquinas à me *Hæreticorum Catalogo insertus est.* Non quod eum hæreticum esse negem, aut non habeam pro hæretico (de quo ibi nullus est sermo) sed quod eum hæreticum appellatum, sive hæreticorum Catalogo insertum *à me* negem in isto quem ex Apologetico meo citas ac notas loco. Nam è contra dixi, cum *à te* in hæreticorum ordine collocari atque adscribi, si eum sibi non constare, vel apertè contradicere demonstrares, quod confirmavi verbis Iesuitę de Valentia. Verba mea sunt in Apologetico pag.284. *Tu vero, si etiam contrarium de Thoma tuo probas, vt facis, multis ad id adductis ex ipso testimonijs, quidnam obsecro. facis aliud, quam vel Thomam sibi non constare, vel apertè contradicere palam demonstres, & sic in hæreticorum ordine eum colloces atque adscribas? namque, vt vester docet de Valentia, omnibus penè hæreticis commune est, vt pugnantia dicant, quo ipso non hæresis notam effugiunt, sed simul etiam in contradictionis atque repugnantiæ notam incurrunt.* Itaque si curę tibi fuisset tuus Thomas, potius ostendere debuisses nullam in verbis Thomæ esse vel repugnantiam, vel contradictionem: quod ego necdum equidem video: & quoniam nec tu id conatus es, jam sic Thomam juxta Valentiæ vestri testimonium non à me, sed à te Hęreticorum Catalogo hoc ipso insertum esse lector intelligat.

VII. Sandai mendacium.

Interim fateor de eodem vestro Thoma, non ipsum tanti facere nos Protestantes Catholicos, quanti cum facitis vos hæretici Pontificij Iesuitæque. Nō est nobis Thomas, uti est vobis, *Doctor Angelicus, Doctor Seraphicus*, non etiam *Divus Thomas:* quam vocem etiam damnat, & cum pœnitentia detestatur parens tuus Bellarminus; Non etiam Thomas vester apud nos tanti est, vel fides ejus ac doctrina tanta, ut tecum, Sandæe, ex Innocentio Papa vestro dicamus, quod *nunquam qui hujus Doctoris Doctrinam tenuit, inveniatur à veritatis tramite deviasse, & qui eam impugnaverit semper fuerit de veritate suspectus.* quod idem etiam habet ac tenet Iesuita Salmeron *in Rom. 5. disp. 51. §. dicet quis.* Potius sacræ Scripturæ Canonicæ ista laus est, non quorum libet aliorum Scriptorum, *quamvis*, ut ait in præcedentibus Augustinus, *Catholicorum & laudatorum hominum, quantuslibet sanctitate doctrinâque præpolleant*, Nam & ob id Scriptura est, ac dicitur *Canonica*; & quia hoc * *Ecclesiastico Canone*, id est, Scripturâ sacra. *relicto* (ἀποστὰς τῷ κανόνι) *ad illegitima & adulterina defecit*, tanquam hæreticus olim in Synodo Antiochena condemnatus fuit Paulus Samosatenus, uti refert Eusebius *in Hist. Eccl. lib. 7. cap. 29.*

Bellarminus in Recognit. pag. 2.

Sandæus in Admonit. pag. 57.

Augustinus supra. Eusebius.

** Hoc ipso nomine Sacram Scripturam etiã appellat Augustinus lib. 2. contra Cresc. cap. 31.*

De vestro vero Thoma & reliquis Scholiasticis ita sentimus, ut ipsos infinitis suis quæstionibus, quibus Theologiam simplicem conpleverunt, veritatem divinam magis intricasse atque obscurasse, quam illustrasse vel explicasse existimemus. Nec placet nobis illud vestri Cani in locis Theologicis lib. 8. cap. 2. ubi scribit, quod *sine Theologiâ Scholasticâ nullam omnino in Ecclesia doctrinam consequi possumus: eâ vero neglectâ, qui se Theologos esse arbitran-*

Canus lib. 8. cap. 2. sub finem.

bitrantur tum denique se errasse sentient cum eos aut disputatio cum hæreticis, aut gravis aliquis & perplexus conscientiæ casus experiri coget. Potius placet illud vestri Rhenani testimonium, doctissimi, cum vixit, ac magni apud vos Theologi, *in Argumento libri Tertulliani de Pœnitentia*, ubi nominatim Thomam & Scotum *homines nimium argutos* vocat; eosque sacram Confessionem, ut appellatis auricularem, argutis suis casibus ac quæsitis nimium intricasse atque adeo penitus reddidisse impossibilem conqueritur: *Cæterum*, inquit, *Thomas ab Aquino & Scotus, homines nimium arguti, Confessionem hodie talem ediderunt, ut Ioannes ille Geilerius gravis ac sanctus Theologus, qui tot annis Argentorati concionatus est, apud amicos suos satis testatus sit, juxta illorum deuteroseis impossibile esse confiteri.* Rhenanus circa finem.

Et miror equidem cur tanti faciat in superioribus Scholasticam Theologiam Canus, cum ipsos Scholasticos *linguæ Græcæ atque Hebraicæ non habuisse peritiam* idem ipse scribat ac fateatur Canus ibidem lib. 2. cap. 13. An ergo non sæpe cum Hæreticis disputatio incidit de verborum ac phrasium tum Hebraicæ tum Græcæ linguæ in Scriptura significatione. Canus ubi supra lib. 2. cap. 13. §. præterea.

Octavum mendacium est, cum *pag. 74. & 79. & 87.* scribis quod ego *magnifaciam, magnopere commendem*, ac denique *plurimum tribuam Florimundo Ramundo.* Quia enim unus est ex vestris, & quem vester Baronius cum insigni laude *virum cum primis illustrem, ac pium, & doctrina insignem* vocat: & cū vos habeam pro hæreticis, nescire non potuisti, quo loco etiam apud me sit vester Florimundus. VIII. Sandei mendacium. Baronius Tom. 1. ad Annū. 853.

Quod autē ejus testimonio in causa Calvini libenter contra te sum usus, non ideo à me factum, ut

quanti apud me valeat ostenderem, quem scio nobis inimicum, verum, quia ex vestris est, & vos eum pro vestro cum laude agnoscitis, quanti ejus testimonium, utpote domesticum atque ex proprijs desumtum apud te valere debeat, vel tu, vel prudens lector intelligeret. Atque adeo ut firmo ac valido argumento innocentiam Calvini ex vobis ipsis contra vos planissimè demonstrarem. Hoc enim probandi genere non solum secundum Patres Veteres, sed etiam vosmetipsos rursus ad adversarium contra quem disputas vel convincendum vel refellendum nullum est aptius vel efficacius. Nam

Niceph. l. 10 cap. 26. *sui ipsius armis hostem ferire*, inquit Nicephorus, *strenui admodum & fortis viri est. Firmum est genus probationis*, ait Tertullianus, *quod etiam ab Adversario sumitur, vt veritas etiam ab inimicis veritatis probetur. Hac veritatis irrefragabilis demonstratio est*, inquit Chrysostomus, *cum quis inimicos in testimonium adducit.* Et his prorsus subscribit Iesuita Salmeron in Rom. 5. disp. 51. *Validum*, inquit, *est testimonium, quod ab adversarijs vi veritatis cogente excutitur.* Denique sic eadem quoque ratione Lutheri testimonio cõtra Lutherum, sive, *in ejus discutiendis sententijs libenter uti* se profitetur Bellarminus, in Concione 4. de Veritate Catholicæ doctrinæ non procul ab initio. An igitur Bellarminus quoq; ideo ipsum Lutherũ vel magnifacit, vel magnopere commendat vel plurimum ei tribuit? Hoc ergo nomine etiam ego, Sandæe, Florimundum vestrum non mihi, sed tibi commendatum à me volui, plurimumque illi non à me, sed à te tribui debere contendi.

Tertull. de Trinit. prope med.

Chrysost. Hom. 82. in Ioan. prope med.

Salmeron in Rom. 5. disp. 51. §. at quoniam.

Bellarminus.

Apud me vero vel ob id minoris authoritatis ac fidei in cæteris est hic idem Florimundus, quia publi-

co

co scripto fabulam dicere non erubuit, quod alij ex nostris verissimam esse historiam, De Ioanne Papissa, ex Mariano, Sigeberto, Gotefrido, Vitenbergensi, Ioanne de Parisijs, Martino Polono, Petrarcha, Boccatio, Ioanne Lucido, Theodorico de Niem, Chalcocondyla, Platina, Palmerio, Neuclero, Wernero Rotewinck, Sabellico, Tritenhemio, Volaterano, Bergomensi, Schedele, Laziardo, Fulgoso Textore, Grassaro, Mantuano, Crantzio, Choranza & alijs, hoc est, ex plus quam viginti quinque Scriptoribus atque historicis, & ijs non Protestantibus, sed Pontificijs, evidentissime comprobarunt. Vide præ cæteris accuratam diceptationem, quæ *Ioanna Papissa toti Orbi manifestata* inscribitur, anno 1616. Oppenheimij excusam, in qua veritas historiæ istius adversus scripta Bellarmini, Baronij, ac nominatim quoque nominati illius Florimundi ab authore ex supra nominatis authoribus ad oculum ostenditur. dignissimus est libellus qui legatur.

Librum enim edidit cui titulum fecit, Iubila Ioannæ, *impressum* Burdegalæ, 1605.

Nonum mendacium est cum *pag. 96.* scribis, *& doceri & probari à nostris Doctoribus laxissimam scelerum omnium licentiam.* Contrarium luculenter à me est demonstratum in Apologetico nostro altero, Articulo 2. ibi vide, nunc excipe tantum calculum vestrorum, atque etiam ex vestris disce ac confitere in calumnia crimen falsi. Nam

IX. Sandæi mendacium.

1. Nostros docere opera bona esse ad salutem necessaria, fatetur diserte vester Bellarminus *lib. 4. de justific. cap. 1. Art. 2.* & Iacobus Reihingh *in Muris Civitatis Sanctæ, fundamento 8. pag. 197.* & Stapletonus *in Antidotis Apostolicis in Rom. 1. 17.* & Tolletus *Tom. 2. in Ioan. annotatione 6.* & Maldonatus in *Ioan. 3. Num. 59.*

Bellarm. Reihingh. Stapletonus. Tolletus. Maldonatus.

2. Nostros docere ac præcipere fidem non mortuam, sed vivam: & pœnitentiam seriam, fatetur Bellarm. diserte idem vester, qui unus vobis sufficit, Bellarminus *lib. 3. de justific. cap. 6. Art. 3.* Singulorum testimonia vide expressa in Apologetico loco jam indicato.

Cum ergo, testibus etiam vobis, nostri Majores, sive, Doctores doceant, opera bona esse ad salutem necessaria, & fidem requirant ac præcipiant non mortuam vel otiosam, sed vivam atque operantem: certe mendax es cum tu asseris eos *& docere & probare laxissimam scelerum omnium licentiam.* ista enim duo simul doceri non possunt, vel dici quod doceant sine manifesto mendacio non potest.

X. Sandæ mendaciū. *Decimum mendacium* est, cum *pag. 107.* scribis quod tibi *nunquam placuit in campo convitiorum pro brabio decurrere.* quot enim continet convitia, quot plena commoti affectus verba, & quam ingenti maledictorum plaustro onerata tua incedit adversus me edita tum *Castigatio*, tum maximè *Hyperbole*, quæ verè quidem hic est Hyperbole, hoc est, Erasmus in Scholia in Epist. 65. Hieronymi ad Pammach. & Ocean. modum excedens: *nam quod est supra modum supra fidemque*, ὑπερβόλικον *vocant Græci.* nullo interim convitio, nullo maledicto in mea contra vos edita. *Conscientia Iesuitica* lacessita.

Ego sanè tria hæc sanctè ac verè affirmare possum 1. Nullam in Ecclesia Romana sectam, seu, Religionis, vt vocant, Ordinem, esse in convitijs, obtrectationibus, exsibilationibus ac maledicentijs profusiorem, quam est Secta Iesuitica. 2. Nullâ in re facundiores esse Iesuiticæ sectæ homines, quam in convitijs, obtrectationibus, exsibilationibus ac maledicentijs. 3. Nullum (si paucos fortè excipias, Costerum, à Gouda, Becanum, Bonarscium, ac similes

miles anteſignanos) ex vniverſa. Ieſuitarum Societate Ieſuitam in convitijs, in maledicentia, in obtrectatione, in exſibilationibus eſſe facundiorem, feliciorem, vel etiam profuſiorem, quam eſt Ieſuita Sandæus. demonſtrabo ſingula ſimul paulo poſt in Mendacio ſubſequente. Nam, vt ordinem ſequamur.

Undecimum mendacium eſt, cum *Pag. 4. 5. & 6.* tuam quam contra me edidiſti *Caſtigationem* vocas ac ſcribis fuiſſe, Caſtigationem *moderatam, paternam, lenem, humanam, non iræ, non ſevitiæ, non tam punitionis virgam, quam diſciplinæ atq; emendationis.* item. me à te *caſtigatum leniſſime, & amicâ à Ratione caſtigatiuncula.* apponam ſpecimen, vt in Ieſuitarum moderatione, lenitate, humanitate, etiam manifeſtũ lector deprehendat Sandæi mendacium. *XI. Sandæi mendacium.*

In priore tua *Caſtigatione* vocas me *calumniatorem manifeſtum, hominem alienati cerebri, tenebrionem, Araneum, impoſtorem, ignarum, Sophiſtam, inverecundum &c.* Notas in me *magnam mentiendi libidinem, non mediocrem convitiandi, malignitatem animi ſingularem, ingentem vecordiam, tarditatem ingenij & ſtuporem incredibilem, ſomnolentiam, ſtupiditatem, inſcitiam, inverecundiam, puerilitatem, ignorantiam, impudentiam, vafritiem, ſtultitiam, effrænatam fingendi, fallendiq; libidinem, inpoſturam & calumniam, & vel micam Religionis & ingenuitatis* in me deſideras, &c.

Audi porro integras etiam phraſes & ſententias quibus me exornas ac deſcribis, ex infinitis ſelectiores: *quæ millies ſunt à prioribus repetita, à noſtris toties refutata, iterum iterumq; ingerit, non niſi ſuperinfuſo mendacij embammate, quod ſine hoc deſipiant patinarum calumniantium ſtrueres.* Item. *Hæc vigi-* pag. 15.

Pag. 78. *lanſne, andormiens protuleris ignoro; dormienti certè te quam vigilanti ſimiliorem fuiſſe imaginationis*

Pag. 97. *vacillatio oſtendit.* Item. *ad Philoſophiam relegandus es, ignare, ſi tamen ejus limen unquam ſupergreſſus es.* Item. *O lepidum caput! quomodo tibi illudit*

Pag. 205. *inſcitia, vel vacuitas cerebri? Item. An non te rapit effrænata fingendi fallendique libido, dum hæc auſus es Orbi proponere. ſigna librũ, homo inverecunde, ubi Demonſtrationis hujus habetur poſitio. An exiſtimas ubique ut in Batavia, Hollandos ſtupidè, quicquid à*

Pag. 288. & 398. & 399. *vobis dicitur, ſcribitur, credere?* Item. *Ubiq; calumniatorem agis vel impoſtorem. Pari paſſu in te procedit impudentia & inſcitia, quæ in uno homine tam arctè colligari poſſe, antequam tua legerem vix rebar. Ne prima quidem Theologiæ principia calles, & de concluſionibus diſputas,* &c.

In altera vero *Caſtigatione* tua, quæ quia & priorẽ excedit, omnemq; modeſtiæ atq; humanitatis modũ, merito à te inſcripta eſt *Hyperpole*, me vocas paſſim *pſeudolum*, itẽ *lucomonẽ*, *rabulã*, *Batavũ Palæmonẽ*, *Verpum*, *Batavum Appionem*, *Aſinũ Ariſtophanicũ*, *Orbiliũ Hollandicũ*, *Mæviũ Batavũ ac olentem*, *Ariſtarchũ*, *Momũ*, *hominem inſultiſſimũ*, *ſcurram diabolarẽ*, *ſacrilegũ*, *ſacramentariũ mendaciſſimum impoſtorem*, *nullius religionis*, *ſtolidum ac fraudulentum circulatorẽ*, *oſtentatorem imperitiſſimum*, *hominem nihili*, *ſtupidum*, *Eccleſiaſticarum rerum & totius antiquitatis imperitum*, *ineptiſſimum nugatorem*, *delirantem*, *ludionem*, *inſulſiſſimum diſputatorem*, *cui ſacramento mendacia formare non eſt religioſum*, *hominem vaniſſimum*, *mendaciſſimũ rabulam*, *& quantum ex imis unguibus ad verticem ſummum ex fraudulentia compaginatũ vel inſcitia*, *&c.*

Sed audi rurſus integras phraſes ac ſententias; cerebrum

rebrum tibi excussisse reor, Pseudole, superioris noctis Vigiliam, adeo turbate & deliri instar ratiocinaris. Pag. 17.
Sanè nisi inter Theologos nomen tuum profitereris, opinarer te nullam sacrorum Codicum partem delibasse unquam, & quoniam infantem esse agnosco, quem Magistrum in Israel oportuit, aures animumq; fodes, mihi accommoda, docebo quæ didicisse juvabit, si sapis. Item. *Non te multa literæ, sed literarum imperitia & judicij imbecillitas extrema ad insaniam redegit, cui vt medear, me miseret, indignationi siquidem inferiorem te reor.* Item. *An non hunc nihilo plus sapientem in literis quam verueecem diceret vel mediocris Theologus?* Item. *dignum Bacchicis lurconibus acumen! O pinguem te, & ad Ramæam amussim dedolatum Dialecticam! Incredibiles profectò progressus te in Dialecticis fecisse demonstras, Pseudole, quum tam acutam conclusionem infers, quam non nisi Hypsæa cacior non videt unde prosiliat.* Item. *Nec impudentia id affirmarit, nec insscitia, quamvis Prædicantica. Quum tacet impudentia, loquitur in te insscitia, Pseudole, qua incredibiliter laboras. Vbiq; vel impudentiæ, vel insscitiæ relinquis vestigia, fatueile.* Item. *Historiæ facem tibi præferet Baronius, si tamen talpæ lumen vel à Sole infundi potest.* Item. *Hæc satis multa opinabar ad frontem tibi purpurà obducendam, sed non ignoro meritricula tibi esse, nesciam colorari, &c.* Pag. 67. Pag. 68. Pag. 167. Pag. 275. Pag. 227. Ibidem. Pag. 277. Pag. 292. Pag. 249. Pag. 272.

His adde præterea latam à te, Sandæe, in me sententiam, quam in confecto à te Assessorum vestrorum consessu his ferè contra me quasi prætor aliquis Vrbanus disceptas verbis. *Altercationi finem vt Iudex per præconem imposuit, silentio indicto dissidentibus, ad Assessores suos conversus, liberè pronunciare jubet, quosnam sontes judicarent,* Pag. 325.

Iesui-

Iesuitasne eorumq; Patronum Oecumenium, an Protestantes, & suffragatorem Pseudolum? de quo capite nulla fuit controversia, consensu cunctis in Pseudolum pronunciantibus, quem vt mendacissimum, vanissimumq; criminatorem condemnandum, plectendumq; judicarunt. At longe alia eos distraxerunt cura, postquam imperatum est, vt & ipsi de supplicio decernerent. Seceditur, dicuntur graves in caput Pseudoli sententiæ. Pœna capitali mulctandum qui opinabantur, multa de injurijs scripto factis memorabant, quæq;

pag. 327. *illis pœna legibus decreta esset. Qui mitius agendum arbitrabantur, censebant in primis Pseudolum injuriarum nomine teneri: deinde pœnam esse injungendam, vt sit intestabilis imposterum, & nulla ei amplius, sive è suggestû agrestium multitudini concionanti, sive in Nationali Hollandorum Synodo comparenti, sive in Consistorio coram Deputatis Ordi-*

pag. 328. *num accusato habeatur fides. Alijs consultius visum, mediam sententiam sequi, qui mitioribus æquè ac severis illis probanda videbatur. Itaq; à lacertosis duobus Virgatoribus Pseudolum sub furca flagellandum judicabant. Teterrimo carceri mancipandum Pseudolum, vt in eo cum umbris luctaretur, aiebat non nemo, post ablatam à Viatore, mulctæ nomine, librariam*

pag. 330. *omnem supellectilem. Subjungebat Assessor, per populosissimas Bataviæ Civitates, præcone & tibicinibus præcinentibus deducendum judico Pseudolum, & annos integros quinque in eam insulam relegandum, ubi*

pag. 131. *vivos homines mortui incursant boves. Non defuit, qui ex Caroli Quinti constitutione pronunciandum diceret: Ea infamantem eidem supplicio subjicit, quod mereretur diffamatus libello, si eius criminis reus, quo accusatur peractus esset. Variantibus in hunc modum sententijs multas horas ea deliberatio tenuit;*

quo

quo tempore Pseudolus cuticulæ metuens, huc illuc concursans prensabat auditores, orabatque ut intercederent. Tandem Iudex sententiam concepit, & paulo post è Tabella recitavit in hunc modum: M. Grunni Pseudole, postquam infamium chartarum partem unam, in quâ pueris ludibrium debes Ridiculus, ad pigmentariorum officinas ut thuris piperisque sit cuculus, Præco; alteram, in quâ cloasinæ mysten agis, homo-stercoreus inficetissimis contumeliis, ad Physconis Olenti cetum, aut Batavorum foricas, ne alio peniculo sit opus, lictor; tertiam, quæ augiæ est stabulū, errorum, hæresium, sycophantiæ sordibus contaminatissimam Vulcano infelicibus ustulandum flammis Carnifex transmiserit: Iubeo, ut quasi in libro, quū scripsisti calamo literas stilis te totum ulmeis conscribant Brutij. Sic belle dictum, ut ne peristromata quidem æquè picta sint Campanica, neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia, tum statuaris, ubi gulam restis insidiatoribus frangit in gabato. Hinc deductus pompaticè, urticea corona radians, ad tibi destinatum ducaris hospitium, caulam saginariam, ubi dum Spiritus Petulcos reget artus, ab omni scriptione semotus, hircos cotidie mulgeas, cribum Alternatium donec impleatur, prædicantibus, quibus libellus dicatus, supponentibus. Ita lictor exequere. pag. 332. & 333.

Quis non miretur Iesuitarum modestiam, lenitatem, humanitatem! vel ex his quis non perspicit quam utraque Sandæi in me *Castigatio*, fuerit *Castigatio paterna, lenis, mitis, moderata, amica, lenissima; non virga iræ non sævitiæ, non tam punitionis quam disciplinæ atque emendationis.* Profecto, Iesuitæ, si hæc vestra est lenitas, moderatio, humanitas: quæ tandem vestra erit sævitia, crudelitas, odium? Ego sanè cum alteram istam Castigationem

tuam

tuam perlegissem, & cum priore eam compararem
1.Re.12.14 incidit mihi illud impij Regis Roboami. *Pater meus grave vobis imposuit jugum, ego gravius faciam;*
2.Paral.10 14. *Pater meus cæcidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus.* Isto vero in te, Sandæe, sicuti non miror, quia Iesuita es, tamen deleo quia Batavus es, propter communem patriæ ortum, quod antiquam Batavorum simplicitatis ac sinceritatis laudē tā fædè ac turpiter à Batavo contaminatam in te videam.

XII. Sandai mendaciū. *Duodecimum mendacium* est, cum *pag. 118.* affirmas, quod *fides justificare interpretatione Augustini non dicitur, quod ipsa sola sit justitia hominem justificans, aut excludat opera à suo consortio.* Aperta enim Augustini testimonia sunt, quæ non tuo more ex citatione tantum aliorum, sed ex propria inspe-
Augustinus. ctione ac lectione bona fide tibi designo. SOLA FIDES *mundat.* in Psal. 88. Conc. 2. itē: DVNTAXAT FIDEI remissio *delictorum promittitur.* prout citatur in jure vestro Canonico Tit. de pœnit. dist. 2. cap. Charitas. & rursus ibidem. SOLA FIDE *peccata relaxantur.* Et sic prorsus similiter quoque de exclusione operum à justificationis actu, *Opera etsi* NON IVSTIFICENT, *sunt tamen ad salutem necessaria.* quæ verba agnoscit in Augustino ipse vester Index Expurgatorius. Clara & brevis Theophy-
Theophylactus. lacti in Rom. 9. sententia est. *Fides* SOLA *est,* NON *opera ipsa, quæ & operatur omnia, & justificat.* à qua Augustinus non dissentit, ut probatum est.

XIII. Sandai mendacium. *Decimum tertium mendacium* est, cum *pag. 125.* scribis, me Calvini *patrocinium suscepisse sponte,* hoc est ultro, sive, nulla necessitate. Nam feri illud adactus tua importunitate, & ego vero pronuncio te crimen illud ac convitium de Calvino in *Castigatione* tua objecisse, *sponte,* tantum ut animi tui

bilem

bilem evomeres, & ad invidiam in nos excitandam, de quo plenius infra Cap. 5. hæresi 4.

De me vero contrarium patet ex ipso *Apologetico*, ubi *pag. 14.* hoc est, in ipso Calvini patrocinij exordio, hæc mea sunt verba: *Priusquam ad ipsum Castigationis examen accedam, singulare aliquod, quod in hoc ipso Præloquio narrat Iesuita, convitium redarguendum arbitror; non quod per se nostra defensione Calvinus hîc indigeat, aut à nemine nostrorum hactenus probè sit defensus; sed potius ne ex nostro silentio* (audis necessitatem?) *triumphum canat, neque à nobis illud refelli potuisse adversarius calumnietur: maximè cum malè audiat hoc nomine doctissimus Withakerus apud Iesuitam Lessium in tractatu suo de Antichristo: quia enim Withakerus adversus Campianum scribens, crimen illud, quod & ille, vt Iesuitæ ferè omnes, Calvino injuriosè objecit, specialiter & fusè non diluebat, Lessius eum illud in Calvino fateri non obscurè videri scribit.* Itaque metus tuæ jactantiæ ac Iesuiticæ gloriationis; nec non iniqua tui Lessij vestigia me ad Calvini nostri patrocinium penè invitum adegerunt, non autem, quod tu ais, illud *suscepi sponte.*

XIV. Sandæi mendacium.

Decimum-quartum mendacium est, cum *pag. 163.* ex Ludovico Richeomo Iesuitâ, quem ob id *virum ingeniosè eloquentissimum, & Gallici Oratoris* nomine * κατ' ἐξοχὴν indigetas, cum approbatione & calculo tuo scribis, *Bezæ amores, poemata, versus, præsertim de suis Audeberto & Candida compositos*, quæ *Juvenilia Bezæ* vulgo appellantur, non modo *typis in lucem editos, vulgatos, & prophanis solet, cum intelligitur Paulus: Demosthenes vel Cicero: Homerus vel Virgilius: Plato vel Aristoteles.*

* quo modo Apostolus, & Orator & Philosophus & poeta dicia sacris

sed

sed etiam *in Scholis, in compitis, in theatris, templisq; vestris* (id est, nostris) *expositos, ostensos, decantatos.*

Mendacium prorsus diabolicum & διαβολὴ omnino Sathanica, nullo facto, nullo exemplo demonstrabilis. Nota, lector, atque intellige Iesuitarum in mentiendo licentiam atque audaciam. Haud ullam injuriam vobis fieri, Sandeæ, quisquam, opinor, dixerit, si quis vos Iesuitas dicat *homines ad mendacia componenda natos & factos:* quemadmodum de luthero dixit ac scripsit Iesuita Gretzerus: vel potius vos Platonicorum atque Origenistarum hæresi infectos, *mendacio vt medicamento vti.* quemadmodum etiam ipse tu non sine mendacio ac mentiendi licentia de medicis ac scribis in tua *Hyperbole lib. 1. pag. 5.* Sed potius hoc mendacium crassum nimiumque impudens Deus tibi condonet: *non etenim*, ad beati Hieronymi exemplum, *considero quid tu merearis, sed quid me deceat.*

Gretz. lib. 1. de iure prohib. lib. nox. in Paralipp. ad pag. 92. §. cur Origenem.

Hieronym. in Apolog. aduers. Ruff. in principio.

Iuvenalia ista Bezæ vel probat vel laudat nostrum nemo: sed cum ipso authore Beza culpat ac damnat, qui ista omnium primus damnavit ac detestatus est. Ipse quoque Poëmatum istorum libellus à Beza adhuc iuvene, & necdum Ecclesiæ Dei adscito, id est, existente adhuc pontificio, est compositus & vt hic ipse notas, Parisiis anno 1548. editus; Quod si postmodum alicubi fuit renisus, non id vel à Beza jam Reformato, vel ab aliquo Religionis Reformatæ Typographo, vel in quopiam nostræ Religionis loco, quod sciam, factum est, sed apud vos & à vestris, ad infamiam nobis conflandam, non imprudenter minus, quam impudenter. Penes me habeo exemplar ante paucos annos Iugduni, uti habet titulus, vel verius, uti referebant tunc temporis ex Nundinis Bibliopolæ, Coloniæ impressum, absque nomine vel

Typo-

Typographi vel etiam anni numero. Multo minus ergo, vt tu hic cum tuo ob hoc à te laudato Iesuita mendaciter asseris, à nobis in Scholis, in compitis, in theatris, templisque nostris exponitur, ostenditur, decantatur. O audaciam! O impudentiam! Tu Richeome, Tu Sandæe, *cur implevit Sathanas cor tuũ, vt mentireris Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.* *Act. 5. 4.*

Ne tamen quempiam hæc res imposterum vel offendat, vel decipiat, audi anathema ab ipso authore conscriptum. Bezæ enim verba sunt in Annotationibus super Math. 1. 19. Τὸ παραδειγματίζειν *nihil aliud declarat, quam publicæ infamiæ exponere. diciturque interdum etiam cum à judice non infligitur pœna, vt apud Plutarchum Archilochus scribitur editis parum honestis versiculis sese παραδειγματίσαι. Quod & mihi Iuveni, necdum in Ecclesiam Dei adscito evenit, quam tamen maculam spero me tum dictis, tum factis eluisse.* *Beza in Math. 1. 19.*

Decimum-quintum mendacium est, cum *Pag. 166.* scribis, quod *Mortonus parte 1. lib. 2. cap. 21. libens admittit Bezam fuisse salacem, Galliæ probrum, Simoniacum, Sodomitam, omnibus vitijs coopertum*, tantum cum hac exceptione, *modo dicatur hoc ante factum quam lucem Calvinisticam* (ita tu vestro more orthodoxam Evangelij Reformationem indigetas) *in reformationis antro aspiceret.* Hoc totum falsum esse docet ipsa inspectio loci: sic enim notato loco scribit Mortonus in contrarium; *Orbi notum est quam salax fuerit Beza, qui publicatis poëmatibus paidastrias suas celebrare non erubuit. Galliæ probrum, Simoniacus, Sodomita, omnibus vitijs coopertus: inter Religiosos excucullatos Monachos præferimus Lutherum Bucerum, &c. Bezam.* *XV. Sandæi mendacium.* *Mortonus libro & loco quem citat adversarius mihi p. 448.*

zam. Hæc ibi sic Mortonus (quod etiam tu hic agnoscis) *per modum objectionis*, videlicet ex vestro Feuardentio, Stapletono, Costero, & Maldonato desumtæ, Sed an libens ista omnia concedit & admittit? an nihil etiam respondet aliud, quam illa facta esse antequam ad Ecclesiam Reformatam transijsset? nihil minus: audi enim quæ proximè sequuntur, & mendacij te convincunt expressi: *Si calumnijs*, inquit, (& hæc vera responsio est) *fides habeatur, quis unquam pius ab ijs tutus? nequaquam sunt tam nefaria falsò jactata ullo modo concedenda, sed omnino certissimâ, eaq; verissima negatione directè repellenda. Bezam certè à tam putudis criminationibus liberant & viri in Gallia præcellentes, quibuscum ille vixit semper, & vita ejus scriptis mandata, & veneranda senectus, & pij labores ejus, & de poëmatibus ipsius admonitiones editæ. Vixit Beza, etiam tunc cum inter papistas versaretur, vt virum verè nobilem decuit; vixit in luce cum præstantissimis semper, in canobijs cucullatus nunquam. facessant igitur tam absurda, tam falsa, tam à tanto viro aliena, & à maledicentissimis & mendacissimis hominibus impudentissimè conficta, & ab ijs tantum excepta, qui non à melioribus edocti commentitia esse ista ignorant, verum Orbi notum est, ab istis sycophantis viros pios insimulari, vt sui quam dissimillimos sibi similes esse confingant.* Idem ibidem.

Ego vero, Sandæe, sponsione qualibet interposita agere tecum ausim, ipsum locum Mortoni à te ne inspectum quidem: sed, quæ vulgaris vester mos est, aliena fisus fide Mortonum id *lubentem admittere*, ac concedere fingis, quæ ipse disertis atque expressis verbis tanquam *nefaria & falsò jactata*, tanquam *putidas criminationes*

tanquam

tanquam absurda, falsa, aliena, & à maledicentissimis hominibus impudentissime conficta à Beza depellit ac refutat: ac proinde *nullo modo concedenda*, sed *omnino certissimâ eaque verissimâ negatione directè repellenda* disertè affirmat: mendacio, vt cuivis patet, manifesto, ac non nisi seriâ pœnitentiâ à te expiando.

An nunquam audisti illud vulgare, *nimis credulus minus est credendus: qui facile credit facile fallitur?* In notissimos errores quosdam ex vestris, etiam Pontificibus Maximis, ex hoc præcipitio lapsos esse, ac nominatim quidem Innocentium, Grægorium, & Thomam Aquinatem, quem tu tanti facis testis est vester Canus *in locis Theologicis lib. 11. cap. ult.* vide etiam eundem *ibidem lib. 22. cap. 8. §. illud porro. & lib. 11. cap. 6.* vbi exemplum narrat de quodam papistico Episcopo, qui *eos*, inquit, *authores citarat interdum, quos nunquam ulla habuit ætas.* Ita vt vel hinc appareat, lector, qua fide & conscientia versentur in authoribus Iesuitæ, ac nominatim quoque meus adversarius.

Canus in loc. Theolog. lib. 11. cap. 6 §. Berosum porro.

Tu vero, Sandæe, sape in posterum & esto prudentior præsertim cum aliquid vel affirmas vel negas de adversario contra quem disputas: cave, inquam, & sape, tum aliorum edoctus exemplo, tum etiam tuo: *imprudentium pœna*, dixit Cyprianus, *providentibus confert sanitatem?* notus etiam est versiculus.

Cyprianus de Zelo & livore.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Et multo magis propria.

Eia igitur, Sandæe, dic cum tuis liberè, nam potes absq; ullâ fallaciâ, absq; ullo mendacio: *posuimus* *Esa. 28. 15.*

mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. In Ægypto peregrinatus videris, Iesuita, ubi nullus olim erat mentiendi modus, impunitas summa: approbari tibi videtur oratio illa & sententia Darij Hystaspis, qui postea Rex Persarum fuit, cuilibet bono ac præsertim Christiano merito invisa, & pernicioſa visa, pestilens ac detestabilis, *ubi expedit mendacium dicere, dicatur: nam idem optamus, & qui mendacium dicimus, & qui veritatem: quippe qui mentiuntur, tunc mentiuntur, cum tali mendacio lucri quippiam facturi sunt: & qui verum dicunt, ideo dicunt, vt verum dicendo aliquod lucrum consequantur. Et alius huc, alius illuc magis propensus est, atq; ita non idem factitando, idem tamen obtinemus, quod si nihil lucri faciendum esset, æque verax foret mendax, & mendax esset verax.* Quis tibi in posterum fidem habeat qui in tam brevi *Admonitione* tot luculenta mendacia lectori obtruseris? Apud Indos, vt refert Strabo, qui ter mendax deprehensus fuisset, ei per totam vitam ex lege silentium indicebatur, quid si decies-quinquies & amplius? neque enim annotavi singula. Apud vos quid moris sit ignoro, pœnam tamen gentium omnium consensu sancitam adhuc ubique vigere animadverto, vt mendaci, etiam dum vera profert, fides non habeatur, ac sit intestabilis: *antiquus* sermo est, ait Hieronymus, *mendaces faciunt, vt nec vera dicentibus credatur. Qui mentitur*, inquit Salomon, *testis est fraudulentus. Extrema malitiæ linea mendacium*, dixit Basilius. Quocirca de tot mendacijs, tam crassis, tam splendidis, tam manifestis in solâ *Admonitione* prolatis convictus, si Indorum pœnam tibi imperari non patiaris, vt æternum sileas, hortor etiam atque etiam

Darius apud Herodotum lib. 3.

Hieronym. Epist. 37. ad Iulian. diacon.

Prov. 12. 17

Basil. de Sp. S. in proem.

etiam vt aliâ quam mendaciorum hederâ Admonitiones tuas in posterum exornes, si ullam attentionem speres vel applausum.

CAPVT SECVNDVM,

De Malitia.

Insignis Sandæi malitia & animi malignitas.

INsignis malitiæ ac malevolentiæ in te, Sandæe, manifestum testimonium est, cum in confecto à te mendaciorum meorum (quorum per Dei gratiâ nullius mihi sum conscius) Catalogo *pag. 31. 33. & 36.* inter mendacia mea ponis ac numeras, imo duplex (vt augeas numerum) mendacium facis, quod ipse tu ignorare non potuisti non nisi esse mendum ac sphalma typographicum.

Paginâ ergo 33. ita scribis, *cum scripsisses Balthasarem Principem interemisse anno 1585. post paucas lineas subjungis, anno 1584. de ejus gloriosa Martyrizatione librum esse editum, nimirum antequam supplicio affectus esset: sed Prophetæ fortasse fuere, vt in Batavia non pauci, qui futura prædixerint, ita tibi constas ubique, ne dictis fides constet. at hic mendaciorum est fructus.* Paginâ vero 36. duo ex hoc vno distincta mendacia cudis ac fabricas, mendaciorum videlicet fæcundissimus ac felicissimus consutor, ita enim numeras. *10. mendacium: hoc accidit anno 585.* intellige quod Balthazar Geeraerts Principem Auriacum interemit. *11. mendacium, liber de ejus Martyrio editus est Duaci, anno antequam supplicio afficeretur, 1584.*

Ego equidem, Sandæe, non parum mihi gratulor, quum istum mendaciorum meorum Catalogum niti

probationibus tam infirmis ac nullis, hoc est, malevolis ineptijs, ex malignitate tantum animi malitiosè à te objectis: ac proinde non nisi ejusmodi ex quibus ipsis innocentia mea etiam per te ipsum lectori comprobatur. Neque enim meus hic ullus error, nedum mendacium, sed purum putum mendum est Typographi, qui pro *anno 1584.* posuit, *anno 1585.*

Atque ideo hoc tuum in me mendacij crimen non ignorantiæ tuæ tribuo, sed malitiæ, quia ita manifesta, ita expressa mea sunt verba, ut nullo modo latere te potuerit, non meum hunc esse errorem, nedum mendacium, sed Typographi mendum: ita enim habent, *Sed quid opus est, Princeps, exemplis apud te pluribus vel exteris? præ manibus sunt, quæ abundè, sufficiunt, domestica. In recenti adhuc memoria est, nefanda illa cædes, quam perpetravit execrabilis Sicarius Balthasar Geeraerts, qui ex Iesuitarum consilio, atque instructione, prout ipsemet est confessus, laudatissimum Principem Guilhelmum, gloriosæ recordationis, dilectissimum parentem tuum * dispolsa fistulâ anno 1585. nefariè interemit; ob quod tam abominabile facinus ipsè Balthazar à Theologis Duacensibus (Iesuitis sine dubio) in Divorum numerum est adscriptus, & Martyrij gloria, prout promiserant in cælo coronatus. vt patet ex libro Belgico* EODEM ANNO *in lucem editô, cum hôc titulo: De glorieuse ende triumphante Martelerye van Balthazar Geeraerts, gedruckt tot Douway by Iean Bogaert gesworen Boeckdrucker inden vergulden Bybel, int Iaer 1584.*

In Apologetico in Præfatione Dedicatoria ad Principē Mauritium.

** pro dispolsa, errore itidem typographico.*

Quis vel luscus hic non videat in loco priore illud *anno 1585.* errore typographicô positum esse pro *anno 1584?* quod verba mea sequentia oculariter demonstrant, cum postea expressè dicam, librum

brum illum de Martyrizatione istius Balthasari editum esse Duaci *anno eodem* & disertè notem in ipsius libri titulo, *anno 1584.* Mirum quod Sandæus non etiam mendacium Grammaticum notaverit in voce *dispolsâ*, quæ similiter errore typographico posita est pro *dispłosâ*.

Sanctè quoque affirmo, me simulac Exemplaria mihi sunt visa, statim inter reliquos Editionis errores etiam agnovisse, & in singulis quos accepi codicibus correxisse errorem istum numeralē, & pro *1585.* substituisse, *1584.*

Et quid usitatius quam non carere libros qui eduntur vitijs sive erratis typographicis? Nec Catalogum erratorum ad calcem addere potui, quia totus Apologeticus me absente est impressus, & vix ante Nundinarum tempus (Typographorum incuriâ) absolutus, ita ut priusquam Codices Francofurtum mitterentur, totum ne quidem perlegere licuerit; atque ipsa quoque Præfatio, in qua hic error est commissus, omnium foliorum ultimò, uti plerumque fieri solet, est excusa.

Itaque hic ego conscientiam tuam, Sandæe, merito compellarem, & frontem: sed novi vobis Iesuitis atque hæreticis conscientiam inesse *cauteriatam*, id est, ut ipse interpretaris alibi, *insignitæ impietatis* ac malitiæ, & quasi *in malo obfirmatæ*; frontem etiam meretriculæ, nesciam colorari: *plane possumus dicere*, dixit Augustinus, *hæreticorum frontem non esse frontem, si non membrum quod fecit Deus, significare intelligamus frontis nomine sed pudorem.* Tuam igitur potius malinitatem atque animi insignem malitiam hic in te notet atque observet lector, quæ sanè procul abesse debuisset, non solum à Christiano, Theologo,

Sandæus in Castig. Cōsc. Iesuit. pag. 24.

Augustin. lib. 4. contra Iulian. cap. 3 prope med.

Doctore, Professore, sed maxime etiam Admonitore, si hujus tuæ *Admonitionis* aliquem apud me fructum exspectassēs vel applausum: & aliena prorsus ab *Admonitione* (qualem tu hanc tuam fingis) *paternâ, blandâ, molli.*

In Admonit. pag. 7.

CAPVT TERTIVM,

De Inscitia.

I. Sandæi inscitia.

INdigna prorsus, Sandæe, Theologiæ Doctore, Professore, qualem te jactas, atque etiam Admonitore, qualem hic te præstas, in te imperitia sive inscitia est, cum *pag. 11.* me *studiosè atque ex proposito, refragante mentis notitia,* id est, conscientia cauteriata Iesuitis doctrinam de Nece Principum mendaciter adscribere inde probas ac demonstras, quia non ignoro Iesuitas contrarium apertè scribere ac profiteri. Verba tua sunt: *Studiosè autem te, atque ex proposito, refragante mentis notitia veritati parcere voluisse, inde duco, quod familiæ nostræ illustres Scriptores evolventibus, inter quos nomen profiteris tuum, clam esse nequeat, Iesuitarum in hoc titulo de Nece Principum doctrina, quæ cum tuis de ijsdem enunciatis æquè atque unda & ignis convenit.*

Vide Apolog. in Præfat.

Quam verè à te dicatur, Iesuitas damnare doctrinam de Nece Principum variis documentis atque etiam exemplis ostendi in Apologetico, visum etiā est supra Cap. 1. Mendacio. 5. & planius videbatur infra Cap. 5. Hypocrisi 8. Nunc tantum consequentiam tuæ affirmationis in jus voco, atque imperitè te colligere firma ratione demonstro, ex ipsismet vobis Iesuitis desumptâ, atque adeo à te ipso quoque approbatâ.

Infirmam enim atque inconnexam hanc tuam esse consequentiam docet commune Hæreticorum (qualés vos estis) ingenium, quod tale nobis describit Iesuita de Valentia: *Omnibus penè hæreticis commune est, vt pugnantia dicant, quo ipso non hæresis notam effugiunt, sed simul etiam in contradictionis atq; repugnantiæ notam incurrunt*; atque id tu ipse alibi vocas *certum axioma, & infinitis pene exemplis confirmari*, inquis, *posse autumo, hæreticos pugnantia scribere, inconstantes esse, uno eodemque ore sorbere & flare.* *Greg. de Valent. lib. 1. de Vnit. & Trinit. cap. 7. in fine.* *Sandæus in Castig. Conse. Iesuit. pag. 499.*

Si ergo, etiam te ipso sic docente, hæretici pugnantia scribunt, inconstantes sunt, & simul sorbent & flant ex uno eodemque ore; quid ergo mirum vos Iesuitas (cum sitis hæretici omnium maximi) doctrinam de Nece Principum simul & asserere & negare: atque ita antiquâ Platonicorum atque Origenistarum hæresi infectos in loco & tempore, commodi atque vtilitatis causa *mendacio quasi condimento & medicamento uti.* *De hoc Platonis & Origenis errore vide supra cap. 1. Mendac. 3.*

Itaque vides, ni fallor, ex te ipso in istâ tuâ deductione tuam imperitiam: nequaquam enim, juxta tuum illud tibi certissimum axioma, ritè colligis aut deducis, me *studiosè atque ex proposito, refragrante mentis notitia veritati parcere voluisse*, cum doctrinam de Nece Principum vobis Iesuitis in Apologetico adscripsi, & quod me non lateat (etiam hoc jam dato) vos affirmare in scriptis contrarium. ratio est. quia cum vos sitis hæretici, etiam commune hæreticorum ingenium ac mores imitamini, hoc est, te quoque interprete, *pugnantia scribitis, inconstantes estis, uno eodemque sorbetis & flatis.* quo pacto etiam vester dixit Costerus, *hæreticorum privilegium est, impudenter mentiri:* & Rosvvydus quidam *Cost. cõtra Grevinch. in Apol. cap. 35. pag. 161.*

Roſweydus Ieſuita in diſſert. de fide haret. ſervandâ cap. 1. pag. 4

dam *hæreticorum genius ab omni ævo fuit, fingere, fallere.*

Quod ſi tamen, Sandæe, tibi jam melius forte edocto bona ac firma iſta tua videtur collectio ac deductio, ut conſcientiæ cauterium mihi inuras, cur eam in me tanquam inconnexam atque impe-

* *in Caſtig. Conſc. Ieſuit. Art. 3,*

ritam * alibi reprehendis? Vel liceat mihi eodem prorſus modo jam verè contra te colligere, atque tecum ex te ipſo tuis ipſiſmet verbis deducere, *ſtudioſe te atque ex propoſito, refragrante mentis notitia, veritati parcere voluiſſe, inde duco, quod familiæ ac Religionis noſtræ illuſtres Scriptores evolventibus, inter quos nomen profiteris tuum, clam eſſe nequeat,* PROTESTANTIVM *in hoc titulo de* NECE PRINCIPVM *doctrina, quæ cum*

* *Vide ſupra Cap. 1. Mēdacio 4.*

* *tuis de ijſdem enunciatis æquè atque unda & ignis convenit.*

Atque adeo etiam jam rectè legitimique ad *Cauteriatam Conſcientiam* in vobis demonſtrandam, poſitum fuiſſe à me confitere Articulum *Demonſtrationis* noſtræ tertium in hunc modum, quia

In Demōſt. de Cauteriata Ieſuitarum Conſcientia.

à Ieſuitis *Pro hæreſi explorata & antiquitus damnata Proteſtantibus adſcribitur, cujus contrarium non ignorant, ſed apertè fatentur, Proteſtantes ſcribere atque ipſiſmet docere verbis.* Namque hoc inde deduco, quod familiæ noſtræ ſeu Religionis illuſtres Scriptores, Calvinum, Bezam, Martyrem, & alios, evolventibus, inter quos nomen ſuum profitentur Ieſuitæ, clam eſſe nequeat Proteſtantium in iſto titulo de authore peccati, de duabus in Chriſto naturis, de Sacramento Euchariſtiæ &c. doctrina, quæ cum Ieſuitarum de ijſdem enunciatis æque atque vnda & ignis convenit. Quod ſi non conſultus authorum

tabulis

tabulis rumori apud vos recepto creditis, quo quæ nec dicta nec scripta unquam, Protestantibus adscribuntur, temeritatis crimen non effugitis, qui haud alio quam vanissimo probationis genere instructi, innocentiam inauditam condemnatis.

Altera in te manifesta inscitia est, cum *pag. 31.* scribis *imperitè* me, imo mendaciter, atque adeo *conscientiâ perfidâ* ac *deploratâ*, Iesuitis impingere vel adscribere, id quod perpetravit Ioannes quidam Castellus Iesuitarum discipulus, qui nimirũ Henrico 4. Galliarũ Regi cultro necem intentavit: *imperitè*, inquis, *facis, si non mendaciter: eâdem enim formula dicere liceret, Christus fuit, sive Christi discipulus perfidus ille proditor Iudas Iscarioth. Non magis fuit Iesuita Castellus, quam tu: discipulus tamen: sed & Iudas Apostolus. ergo Apostoli proditores? ergo exterminandi? ergo infames? O judiciariam æquitatem! peccat discipulus; i lictor, jubet meus Prædicans, Magister licet innoxius, tamen quia Magister, sit pendulus e gabalo.* II. Sandæ inscitiæ.

Manifesta inscitia. legitimâ equidem consequentiæ formulâ, ac jure optimo Magistro tribuitur quod fecit discipulus ex Magistri institutione atque instinctu: neque tunc Magistro ipse innoxius. Tale autem fuit (quod à me quoque in Apologetico expresse additum, & à te hic imperite, si non malitiosè omissum) Parricidium illud à Castello Regi Henrico anno 1594. cultro intentatum. Ob hoc enim Castelli facinus tum ipse Castellus capite mulctatus est, tum universa quoque Iesvitarvm Societas tota Gallia eôdem anno pulsa atque proscripta, tanquam *hominum genus nova ac*

ita habet væ ac maleficæ superstitionis, qui Rempublicam turbabant, & QVORVM INSTINCTV (Nota) piacularis adolescens dirum facinus instituerat. Plura de his dicetur infra in Cap. 5. Hypocrisi 8.

expressè Decretum publicum Parlamenti,

Dequo vide plura infra cap. 5.

Præterea insciticæ tuæ atque imperitiæ non leve quoque argumentum est, cum *pag. 148.* & sequentibus in tam gravi crimine, de Calvini stigmate, eos authores producis tanquam ἀξιοπίστους ac fide dignissimos *1.* qui omnes ac singuli Calvini ac Doctrinæ ejus infensissimi hostes atque inimici, quales sunt *Bolsecus, Lessius, Stapletonus, Briegerius, Campianus, Duræus, Surius, Schlusselburgius, Reginaldus, Brerleus, Feuardentius, Laingæus, Lorinus,* unus Lutheranus, duo vel tres apostatæ, quinq; Pontificij, reliqui Iesuitæ. *2.* qui tantum attestantur, aliquem Scriptorem & quidem anonymum atque incertum ita de Calvino referre, qualis est *Laurentius Surius* Monachus: Sic enim ille in verbis à te descriptis: *Hunc Calvinum à patria sua ob vitæ improbitatem exulasse* QVIDAM SCRIBIT. *3.* qui in illo ipso testimonio quod contra Calvinum ex illis prefers, vel sibi, vel tu tibi apertè contradicis, qualis est *Ioannes Brerleus Anglus*, quem citas *pag. 151.* Sic enim ille in verbis à te citatis, *nihil eorum,* inquit, *quæ Bolsecus adfert recensebo.* & rursus. *illis omnibus quæ Bolsecus tradit supersedendum censeo.* & tamen tu ipse verbis proximè subsequentibus addis: *tum narrationem de flagitijs Calvini, & Sodomæ turpitudine Schlusselburgij verbis narrat.* manifesta contradictio. Nam si *nihil* eorum Brerleus recenset quæ Bolsecus adfert, ergo aut ipse aut Bolsecus nihil de Sodomitica Calvini turpitudine ac cauterio recenseat necesse est: ac proinde vel iste vel hic frustra ad hoc crimen in Calvino probandum à te in testi-

III. *Sandæi insciticia.*

Surius apud adversarium.

Brerleus apud adversarium.

Sandæus pag. 151. Admonit.

monium

monium adducitur. & rursus. Si *nihil* Brerleus recenset eorum quæ Bolsecus adfert, sed *illis omnibus* quæ Bolsecus tradit supersedet: Ergo tu imperitè facis, si non mendaciter, cum affirmas quod *tum narrationem de flagitijs Calvini & Sodomæ turpitudine Schlusſenburgy verbis verbis narrat.* Nam hæc satis expressè & latè Bolsecus tradit, & tu ex illo, in libello de Vita Calvini cap. 5. Nec refert si dixeris Brerleum nihil recensere eorum quæ Bolsecus adfert, videlicet verbis Bolseci, quamvis quidem recenseat verbis Schlusſenburgij: quia recensendo verbis Schlusſenburgij eadem quæ adfert Bolsecus, verè recenset aliquid eorum quæ adfert & tradit Bolsecus. *Sandæus pag. 135. 136. 137.*

Esse autem omnes hosce ac singulos testes jam nominatos, Sandææ testes sufficientes, ἀξιοπίστους, ac fide dignissimos, patet ex ipsis verbis, quæ subjungit *pag. 155. his testibus si negatur fides, cui tandem constabit historico?* & rursus *pag. 156. nihil ex me fingam, absit, nihil dicam sine testibus fide dignissimis:* & producit Feuardentiũ, Laingæum & Bolsecum. quo pacto etiam *pag. 144.* Stapletonum vocat in hac ipsa causà *virum fide dignum*; imitatus, ut apparet, consodalem suum Lessium qui pari prorsus ratione in hoc ipso de Stigmate Calvini negotio Bolseco, Briegerio, Stapletono, Campiano, Surio, Duræo, & Reginaldo in aciem productis, tandem exclamat, *en septem testes, omnes ἀξιόπιστοι, omnes omni exceptione majores.* Nos in singulis horum trium Sandæum inscitiæ convincamus atque imperitiæ, nisi quis malitiæ ejus potius adscribendum putet. itaque. *Idem.* *Lessius de Antichristo in Appendice num. 52.*

De *primo.* Quis vel proprios sive domesticos in testimonium adhibet, vel inimicos contra adversarium

rium cum quo contendit, nisi imperitus? An non *lege cautum est, ne inimicus vel adversarius in testē admittatur?* rectè perfectò Augustinus, *si Laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti:* Et Ambrosij quoque laudata sententia est, *duobus aut tribus testibus stat omne verbū, sed illis testibus, qui ante hesternam aut nudiustertius non fuerunt inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci se velint.* quæ amplius huc spectant vide in *Apologetico* nostro *pag. 17.*

Leg. 3. ff. in Test.

Augustin. lib. 3. contra lit. Petilani cap. 10.

Ambros. in Epist. 64.

De *Secundo*. Quis nisi imperitus plane nescit, testimoniū ejusmodi, quo tantū asseritur, *quidā scribit*, nihil minus esse quā ἀξιόπιστον, vel sufficientē, sed incertū prorsus, vel potius nullum: neq; magis admittendum quam illud, *fortassis, videtur, ajunt quidam, fertur*, aut similes formulæ. Rectè autem, licet vester, Melchior Canus, *verbum, videtur, judiciorum infirmat certitudinem.*

Canus in Loc. Theolog. lib. 5. cap. 5. §. nomine igitur.

De *tertio*. Quis rursus nisi plane imperitus ignorat, contradictionem mendacij esse certissimum argumentum? *mendacia*, dixerat Lutherus, *certius dignoscere non potes, quam quod sibimetipsis contraria sunt: à Deo enim ordinatū est, vt impij semper seipsos confūdāt, & vt mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur; testimonium hoc*, inquit in ejus citatione Bellarminus, *verum est, & nos in ejus discutiendis sententijs libenter utemur. Mendacia* ait Chrysostomus, *ipsa sibi mentiuntur.*

Lutherus de Votis Monast.

Bell. Conc. 4. de Verit. doctr. Cath.

Chrysost. Hom. 39. in Math.

CAPVT QVARTVM,

De Fraude.

I. Sandai fraus.

PRima *fraus*, dolus, atq; impostura tua est, cum *pag. 31. & 32.* de Balthasaro Geeraerts, quē cōfessum

fessum dixeram, se Principem Arriacũ ex consilio atque instructione Iesuitarum interemisse, scribis, *interemisse legi, sed de confessione illa nullibi apud veridico, & Tragœdiæ spectatores est mentio*; & producto unico ex Michaele quodam Isselt Scriptore Pontificio, testimonio, sub finem exclamas, & quæris, *ubi hic de Iesuitarum consilio atque instructione, vel in quæsitis, vel in responsis commemoratio?* Cur insidiose tu hic, Sandæe, lectorem conaris fallere? quasi ego illud de *confessione illâ* Balthazari, & de *Iesuitarum consilio atque instructione* in Apologetico probarim ex Michaële Isselt, id est, eo Scriptore, apud quem tu jam productis ejus verbis nullam horum vel mentionem vel commemorationem extare demonstras.

Ego equidem utrumque illud & de *Iesuitarum consilio, atq; instructione*, & de ipsius Balthasari *Cõfessione*, expressè, id est, annotato fideliter & libro & loco, probavi ex veridico ac nobilissimo Rerum Belgicarum Commentatore, Emanuele Meterano; quem tu hic quasi minime in me citatum quia fraudulenter dissimulas, iterum moneo ut ipsum consulas, si veritatis es studiosus: librum & locum bona fide denuo designo, libro nimirum Commentariorum duodecimo, sub anno 1584.

An etiam in hoc Scriptore, Sandæe, vel de *confessione illâ* nulla est mentio, vel de *Iesuitarum consilio atque instructione* vel in quæsitis vel in responsis nulla commemoratio? nec inscitia id affirmant, nec impudentia, quamvis Iesuitica. inspice locum, & erubesce, nisi jam pridem depudueris. Hic tamen, fidelis in hac re, Scriptor cum disertè à me in *Apologetico fuerit* productus ac nominatus, cur tu ipsum silentio prorsus præteris, & qua-

& quasi vel nemo à me in testimonium fuerit adductus, vel adductus vester Michael Isselt, ad hujus testimonium confugis? manifestus dolus, fraus, atque impostura Iesuitica.

11. Sandæi fraus.

Altera quædam manifesta fraus, & dolus in te est, cum *pag.* 110. Patres vestris vestros Tridētinos novitios cum antiquis Patribus, quales fuerunt Hieronymus, Ambrosius, Augustinus & alij, insidiosè confundis, & illos atque hos pro ijsdem sumis: reprehendens enim me quod te. Tridentini vestri Concilij sententiam obsequenter amplexum *verum ac geminum Patrum tuorum Tridentinorum filium Tridentinum* compellassem, in eum modum gloriaris ac respondes, quasi te Veterum Sanctorum Patrum (quos & nos pro Patribus agnoscimus & veneramur) verum ac genuinum filium dixissem; *nunquam equidem magis*, inquis, *ad meum palatum, quamvis illustriè si adversarium specto, commendari potui: nunquam testimonium ad firmanda mea dicta obtinebo accommodatius: felicem me si tantorum Patrum sim genuinus filius: securum si illorum insisto vestigijs: certum doctrinæ si nunquam ab eorum unanimi consensu in Scripturæ divinæ interpretatione recedam, libenter usurpamus quotquot Societati nomen, dedimus, illud nostri Sodalis: Nos Patrum veri filij sumus: non illos pro Semi-Patribus habemus, sed totos nobis tanquam Patres vendicamus. Nos Patrum doctrinam non aliquâ ex parte admittimus, aliâ repudiamus, sed integram amplectimur. Illis igitur in Paulinâ illâ sententia explicanda dum me auscultare concedis, te refragari: me antiquitatis & Orbis conspiratione pugnare, te his præsidijs destitutum cæco impetu ruere pronuncias: nisi te solū oculatū, orbos lumine Orbis illustratores fuisse intolerabili fastu jactites.*

Duræus Iesuita contra Withak. fol. 125. 140

Sed

Sed heus, Ieſuita, attende pauliſper cogitationemque ſobrij hominis ad punctum temporis ſuſcipe, erras, vir bone, toto, quod ajunt, cælo. Verum ac genuinum filium te dixi, non Sanctorum Patrum Veterum, ſed ſpecillum adhibe & codicem inſpice, *tuorum Patrum Tridentinorum verum ac genuinum filium Tridentinum*. Etiam in Paulinâ illâ ſententiâ explicandâ te auſcultare, me autem refragari conceſſi, atque etiam nunc concedo, non illis Sanctis Patribus antiquis, quos & nos pro Orbis illuſtratoribus agnoſcimus ac veneramur, & de quibus in teſtimonio hoc à te allato tuus loquitur Sodalis Duræus, ſed illis ipſis *Patribus Tridentinis*, ſive, ipſo *Concilio Tridentino*, cui, nos Proteſtantes non credimus, quia illud habemus pro Conciliabulo Antichriſti, & quare ſic habeamus, rationes habemus ſanctiſſimas. Ac proinde etiam nequaquam ego conceſſi te *antiquitatis & Orbis conſpiratione pugnare:* me autem *his præſidijs deſtitutum cæco impetu ruere*. ſed tu potius malitioſo quodam impetu Sanctos Patres Veteres & antiquos cum veſtris novitijs Patribus Tridentinis inſidioſè confundis, & hoc in illos papiſtica quadam atque magica tranſubſtantiatione mirabiliter tranſformas, ut ſic lectorem minus cautum fallas ac decipias.

Similem vel potius eandem fraudem committis ac fallaciam, cum *pag. 43.* ideo à me doctiſſimos ſanctiſſimosque Patres contemtim per intolerandam arrogantiam appellatos & rejectos ſcribis: reverendam etiam antiquitatem ludibrio habitam, & authoritatem ſanctorum Patrum Veterum ſcurriliter à me elevatam accuſas, eo quod authoritatem Concilij veſtri Tridentini in Apologetico rejecerim. Verba tua ſunt paginâ notatâ: *Dices, nihil a-*

ſperius à te in Patres Eccleſiæ Veteres prolatum, nihil arroganter & protervè, nihil per contentum de Sapientum ullo Concilio. Pauca ergo tanquam ſpecimen ſingularis modeſtiæ excerpamus, vt monitus tumorem premas, & ſi contemni non vis, Majores non contemnas. & ad probationem proximè atque immediatè ſtatim ſubjungis, inquiens, *Nominaram ad ſententiæ orthodoxæ confirmationem Patres Concilij Tridentini*; *Repellit Examinator*, *Quid nobis aut negotij, aut commune cum Concilio veſtro Tridentino? Concilium Tridentinum habent Proteſtantes pro Conciliabulo Antichriſti.*

Fraudulenter rurſus hic agis, Sandæe, ac minus candidè dum *Patres Eccleſiæ Veteres* rejectos & contemtos à me inſidioſè perſuadere ſtudes: Non ſanctos *Patres Eccleſiæ Veteres*, ſed *Patres tuos*, id eſt, Concilij Tridentini nominatim intellexi.

CAPVT QVINTVM,

De Hypocriſi.

1. Sandæi Hypocriſis.

PRima *Hypocriſis* eſt, quicquid *pag. 2. & 3. & 100.* ſcribis ac profiteris, de affectu tuo & amore erga me *paterno*: quod mihi *faveas*, quod me *ames animitus*, & *abſentem licet charitatis Chriſtianæ dilatis ulnis complectaris*. Quam enim mihi faveas, quam me ames paternè & animitus, ac denique quam charitatis Chriſtianæ dilatis ulnis me complectaris, non ſolum docet hæc ipſa tua Admonitio, ſed præſertim utraque tua jam ante contra me edita *Caſtigatio*: de cujus amica lenitate ac moderatione (quam etiam in hâc ipsa *Admonitione* pag. 4. 5. & 6. Thraſonicè jactas & menda citer

citer) abunde vidimus supra in Capite 1. Mendacio 11. ibi lector vide.

Secunda Hypocrisis est, cum *pag. 9. & 10.* scribis, quod in hac tua *Admonitione*, quam paternam etiam vocas, non velis me appellare *mendacifigulum*, vel *calumniatorem*, vel *criminatorem*: nempe, inquis, *Patrem me agere velle pollicitus, nominibus odiosis abstineo.* quod idem etiam præfaris *pag. 7.* his verbis: *Semel castigatum Admonitio excipiet, blanda, mollis, penè cum verborum illecebris.* O fabulæ, quas mendax Hypocrisis finxit ut placerent populo, vel potius imponerent. Statim enim ὥσπερ ὑπολαμβανόμενοι σεαυτῷ, quasi tui oblitus *pag. 8.* expressum Caput formas *de mendacijs:* atque in ipso exordio scribis, *ecce mendacium spissum, dolosum palpabile:* & in progressu, notato prius in me *argumento mendacitatis extremæ manifesto*, integrum Catalogum mendaciorum meorum contexis, quem ad numerum 15. pueriliter admodum extendis, quæ mihi, inquis, *mendaciorum Pater instillavit*, id est, Diabolus. Paginâ etiam undecimâ me *studiose atque exproposito, refragante mentis notitia veritati parcere voluisse* asseveras, quinimo illâ ipsâ *pag. 9.* ubi me mendacem vel criminatorem, vel calumniatorem vocare te nolle prætendis, disertè affirmas me ipso *mundo teste falsum crimẽ innocentibus per manifestã fraudẽ objicere, & ex cupidine alijs faciendi negotium accusationum fingere lemmata.* addens in margine, hoc ipsum proprium esse *mendaci-figulorum, calumniatorũ, criminatorũ.* Deniq; ipsum Caput hoc secundũ finito mendaciorũ meorum Catalogo ita paterne ac benignissimè concludis: *Eia dic cum tuis iberè, nam potes absq; fallacia: posuimus mendacium*

II. Sandæ Hypocrisis.

Pag. 23.

Pag. 35. 36. 37.

Pag. 19.

 specus

spem nostram mendacio protecti sumus. In Ægypto peregrinatus videris, Laureti, ubi nullus olim erat mẽtiendi modus, impunitas summa. Quis tibi in posterũ fidem habeat, qui pauculis pagellis tot luculenta mendacia lectori obtruseris? &c. Hoc ipsum tamen Sandæo est agere *patrem, blande, molliter, panè cum verborum illecebris, & nominibus odiosis, mendacis, criminatoris, calumniatoris,* aut similibus *abstinere.* Profecto, Sandæe, quia talem te præstas Patrem, non optarem te mihi vitricum. Sed jam dudum de hujusmodi Hypocritis verè Propheta dixit, *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Nisi quis etiam hoc mendacijs annumerare malit: mendacium enim est, dicere se non dicere, & tamen dicere.

Ierem. 9. 8.

III. Sandæi Hypocrisis.

Tertia Hypocrisis est, cum *pag. 41.* tanquam devotissimâ & humillimâ subjectione antiquis Patribus vosipsos longè statuis ac fateris inferiores, & ne millesimâ quidem parte cum illis comparandos. Verba tuâ sunt: *quid enim nos, etiamsi non omnino cæcutiamus, ad illos Orbis Soles? quid nos homuli ad illos Deo proximos? nos pumuli & nani ad Gigantes? quid locusta ad lucam Bovem?*

Quis non miretur, Iesuitarum erga Patres reverentiâ, & de seipsis humilem confessionem? Sed mera Hypocrisis. Hujus linguæ ac styli sunt Iesuitæ tum cũ aliquod ex Patribus pro sua heterodoxia patrocinium sperant: alias vero, *heu quantum mutatus ab illo Hectore!* Audi, ex multis paucos, quid *Didacus Stella* scribat, quid *Salmeron*, quid *Costerus* quid *Pererius*, quid deniq; ipse meus Monitor *Sandæus*, omnes Iesuitæ præter Stellam: ne fingere quis me dicat, vel calumniari. *Bene scimus*, inquit *Stella Pighmæos Gigantum humeris impositos plus quam Gigantes ipsos videre; Illud asserimus*, inquit Salme-

Stella in Luc. Tom. 2 cap. 10. super verba illa confiteor tibi Pater.

ron

ron, *quo juniores, eo perspicatiores esse Doctores; ita ut Aristoteles dixerit, per incrementâ temporum perfectiores esse artes & disciplinas; non omnibus omnia dedit Deus, ut quælibet ætas suis gaudeat veritatibus, quas prior ætas ignoravit*; Simile prorsus, vel potius idem habet quoque Roffensis in confutatione Articulorũ Lutheri Art. 18. & Costerus in Enchiridio cap. 1. *Sicut enim numero crevit Ecclesia, ita facta est auctior eruditione & perspicacior in in cognoscendis articulis fidei.* Expresse etiam Tostatum, Scriptorem Pontificium, ipsis antiquis Patribus in omnibus merito annumerandum censet Pererius *in Gen. 25. 15. disp. 1. Num. 24.* atque in hâc ipsâ *Admonitione* Iesuitam Bellarminum veluti sæculi nostri alterum Augustinum commendat Sandæus. *Vir sanè*, de Tostato inquit Pererius, *non solum ob Scriptorum multitudinem, verum etiam ob subtilitatem, facunditatemque ingenij, & judicij gravitatem, & multijugis doctrinæ præstantiam, antiquis illis magnisque Patribus & Doctoribus* (Augustino, Gregorio Hieronymo, Chrysostomo, hos enim nominarat) *merito annumerandus. Hæc de Viro ut doctissimo, sic modestissimo*, ait de Bellarmino meus Monitor, *quem velut sæculi nostri Augustinum venerabitur posteritas; nunc boni omnes suspiciunt.*

Salmeron in Ro. 5. disp. 51. §. Tertio.

Roffensis.

Costerus in Enchir. pag. 69.

Pererius.

Sandæus Admonit. pag. 63.

Vbi nunc Sandæe, tua illa antiquis Patribus tributa laus, & de vobis ac vestris Doctoribus prædicata humilitas? O laudatorem constantem! modo illi cum insigni laude *Orbis Soles*, vos ne lucerna quidem, & parum minus quam cæci; vos *homuli*, illi *Deo proximi* & quasi prorsus Divi; vos *pumuli & nani*, illi *Gigantes*; vos *locustæ*, illi *Boves*: Iam vero vos *videtis plus quam ipsi Gigantes*;

Veteribus multo estis *acutiores & perspicatiores, antiquis illis magnisque Patribus & Doctoribus merito annumerandi.*

Nempe laudatis, immodicè, si impotentibus vestris cupiditatibus atque heterodidascaliais videntur favere; vituperatis immodicè, si stultis delirijs ac venenatis vestris dogmatibus salutarem manum medicam videantur velle adhibere. Quando vobis placent, Patres esse agnoscitis, viros magnos, gravissimos, doctissimos, sanctissimos fuisse superlativè prædicatis: si displicent, jam nulli sunt, & positâ simulatione à subdolâ reverentiâ ad contemtum eorum profilitis. Illustre hujus rei ac veritatis exemplũ nobis exhibet Duræus & Gretzerus, uterq; Iesuita: *Patres*, inquit ille, *nõ censentur Patres, si suum aliquod dogma quod ab Ecclesiâ* (dogma intellige à Romanæ Ecclesiæ fide dissentaneum) *non acceperunt, vel scribunt vel docent.* Namque *Ecclesiæ Pater*, uti docet Gretzerus, *ille dicitur, qui Ecclesiam salutari doctrina alit & pascit, qui super familiam Domini constitutus, dat ei in tempore tritici mensuram; jam verò si pro salutifera doctrinæ pabulo, & pro mensura tritici, offerat & admetiatur lolium & Zizania, & perversorum dogmatum lappas & tribulos* (id est, cum doctrinâ Pontificiâ non consentanea) *eatenus non Pater est, sed vitricus, non Doctor, sed seductor.* Hæc ille.

Duræus cõtra Withak. fol. 140.

Gretzerus de iure & more prohib. libr. nox. lib. 2. cap. 10. §. fateri.

IV. Sandæi Hypocrisis.

Quarta Hypocrisis est, cum *pag. 126.* scribis, te non nisi *coactum*, atque *invitum* Calvini crimen ac probrum propalasse. Quis coegit te Sandæe, quis invitum te ad istam calumniam pertraxit? ne verbulo quidẽ à me in *Demonstratione* irritatus, ultro, nullâ prorsus importunitate coactus, ipse, quam diverso respectu Conscientia dicatur Cauteriata explicans,

plicans, proprio motu in hæc verba convitioſè prorumpis, *In Galliâ Sodomæ notas circumferunt nonnulli quæ cuius ſint formæ, norunt haud dubiè Protestantes Calviniſtæ, dorſi paterni ἐπόπλευ, quod ad perpetuum Sectæ exitialis, & auctoris dedecus carnificis operâ liliatum ob fœdiſſimum, & nefandum ſcelus paſſim celebratur & verè.* Non niſii mera in te fuit maledicendi ac calumniandi libido, quam manifeſtè etiam prodis cum in *Caſtigatione* tua altera, quam *de Hyperbole* inſcribis, pag. 322. de Luthero. Zwinglio, & Calvino in nulla re quam convitiandi arte magis eloquens vel exercitatus ita ſcribis: *Lutherus, excucullatus Monachus, procax amator, ſcurilis ludio, luculentus Sycophanta, ſeditionum tuba, convitiator ſummus, calumniator maximus, peſtis Patriæ; Calvinus, veteratorius impoſtor, libidinoſus Apoſtata, Sodomitia criminis notâ infamis, lues Galliæ; Zwinglius, ambitioſus buccinator, ſeditioſus civis, miles vaniſſimus.*

Sandæus in Caſtig. Cōſ. Ieſuit. pag. 21.

Idem in Caſtig. liberalit. Ieſuit. pag. 322.

Penes lectorem judicium eſto, & ex dictis jam judicet quam verè eâdem quo ſupra paginâ in *Admonitione* ſcribas, cum ſubjicis: *propoſitum nobis eſt, dum in Adverſarios ſcribimus, eorum probra minime propalare, niſi importunitate ſua ad id invitos coëgerunt, tum vero etiam cum verecundiâ eadem attingere & tectè, tanta famæ proximorū eſt cura.* Mera Hypocriſis. *Hi ſunt qui boni videri, non eſſe; mali non videri ſed eſſe volunt*, quemadmodum de Hypocritis Hæreticis dixit Bernardus: Namque, Auguſtino definiente. *quiſquis ſe vult videri quod non eſt, hypocrita eſt: ſimulat enim juſtum & nō exhibet.*

Bernard. Serm. 66. in Cantica. Auguſtin. in Serm. Domini in monte lib. 2. cap. 3.

Quinta Hypocriſis eſt, cum *p. 127. & 128. ſcribis, mihi nunquā fuit animus, ulli, quāvis maxime infeſto infenſoq; vel minimū crimen per calumniā affingere.*

V. Sandæi Hypocriſis.

Non est Christiani hominis nedum Religiosi, calumniari proximum, aut convitium ulli dicere. O lepidum caput, sed cerebrum non habet! Bona verba. sed protestatio est ipsi facto contraria, qualis etiam fuit in Pilato *Math. 27, 24.* Calumnia & convitium insigne est, cum in hac ipsa *Admonitione* (utramque *Castigationem* ut nunc omittam) idque solâ asseveratione, sine ulla prorsus probatione scribis, apud Protestantes *ceu artis novæ præceptionem constitutum esse, mentiri non modo licitum esse, sed non-*
Pag. 11. Pag. 20. & 23. *nunquam necessarium.* Item. *Ex Religionis Protestantium privilegia posse eos Reges & Principes deponere, expellere, interficere ac populariter interimere.*
Pag. 96. Item. *Et doceri & probari à Protestantibus laxissimã omnium scelerum licentiam.* quorum confutationẽ vide supra Cap. 1. Mendacio 2. 3. & 8. Rectè sane contra ejusmodi hypocritas, & sanctitatis pietatisque Christianæ simulatores S. Augustinus in Psal.
Augustinus. 63. *Simulata innocentia, non est innocentia, simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia & iniquitas est, & simulatio.*

VI. Sandei Hypocrisis. *Sexta Hypocrisis* est, cum *pag. 156.* scribis ac protestaris, de vita Calvini agens, *nihil ex me fingam, absit, nihil dicam sine testibus fide dignissimis:* & tamen nullum testem producis nisi *Feuardentium, Laingæum,* & *Bolsecum:* hoc est, tantũ vestros ac domesticos, atque ex illis tandem (bellè me herculè) concludis *pag. 159. His satis refutatur quæ tu objectas, &c.* Mera hypocrisis, mera simulatio est in isto tuo, *absit,* & *nihil ex me fingam.* Quid enim refert, sodes, utrum Feuardentius, vel Laingæus, vel Bolsecus id fingat, an Sandæus? sunt enim omnes hic testes æquali fide digni, id est, nullâ. Et quam testes proprij ac domestici, atque adeo Adversarij & inimici

mici parum sint testes ἀξιόπιστοι, ac *fide dignissimi*, vidimus supra in Cap. 3. Inscitiâ 3. ibi vide.

Manifesta præterea hypocriseos species est, alteri objicere, cujus ipse sis reus: Hinc enim Christus Math. 7. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Sit itaque in ordine. *Math. 7. 5.*

Septima Hypocrisis, cum *pag. 11.* scribis in Calvini Schola ac Palæstra, *ceu artis novæ præceptione constitutum esse, mentiri non modo licitum esse, sed nonnunquam necessarium.* Hujus criminis vos reos esse convinco ex unico (quod hic sufficiet) eoque manifesto vestrorum dogmate de *Æquivocatione*, quam alij *mentalem reservationem* vocant: de qua ita docetis ac præcipitis: *Non semper tenetur homo uti verborum significatione communi, sed aliquando licet uti æquivocatione, & decipere audientem.* Exempli gratia: *Si vir uxorem interroget an sit adultera, potest dicere, non sum, quamvis verum fuerit, intelligendo, vt tibi revelem.* Rursus. *Iudex petit juramentum ab aliquo vt dicat crimen vel proprium vel alienum; tunc si crimen omnino est occultum, utatur æquivocatione, puta, nescio, intelligendo intra se, vt tibi dicam; vel, non feci, intelligendo, nunc non feci, vel quid simile.* Rursus. *Cum Civitas aliqua nõ admittit cives alterius, quia peste infectos putat, tunc custos petit ab aliquo veniente juramentum, an veniat ex illâ civitate; tunc si talis civitas verè non est infecta, potest tuto citra mendacium jurare, se ex eo loco non venire: intelligendo modo, se non venire ex loco pestilenti: similiter, quamvis sit infecta peste, si tamen ipse non sit infectus, potest uti æquivocatione, & jurare, non venio, dum intelligat, se nihil mali ex pestilentia loci contraxisse.* Rursus. *Sacerdos si roge-*

VII. Sandæi Hypocrisis.

Tolletus Iesuita de Instruct. Sacerd. lib. 4. cap. 21. §. Secundò. Id. ibid. §. Primò. Id. ibid. §. Secundum.

Id. ibid. §. Secundò & Iesuita Azorius Tom. 1. Moral. lib. 11. cap. 4 §. Tertia.

Azorius ibid. §. prima. *tur de his quæ in sacris peccatorum confessionibus audivit, potest simpliciter* (id est, etiam absquè ulla æquivocatione, seu mentali reservatione) *respondendo jurare, se nihil scire, se nihil audivisse.*

Cum quibus etiam planè coincidit illud Iesuitæ Southwelli aciſociorum in Anglia consiliū, quod hospitibus suis, apud quos divertebant, dare solebant: quibus nimirum Regio Edicto publico interdictum erat, ne quis ullos Iesuitas aut hospitio exciperet, aut etiam celaret; Consiliū autem tale fuit, *Georg. Abbas in quæst. de mendacio. pag. 32.* *vt si coram Magistratibus in judicium vocarentur, ibique peteretur, num Sauthwellum conspexissent, negarent se vidisse, etiam licet juramento prius præstito, se vera dicturos contestarentur & præter vera nihil.* Nec non Indulgentia quædam altera ipsis Sacer- *Idem ibid. pag. 40.* dotibus concessa, nimirum, quod *licitum est Sacerdotibus æquivocare, vel nomina mutare apud eos qui sedent in portubus ad telonium, ait si in via interrogentur de religione sua, aut unde venerint, responso indirecto licebit effugere, & deludere interrogationem:* quemadmodum refert Georgius Abbas, Archiepiscopus Cantuariensis, in tractatu sex illustriū quæstionum, quæst. 1.

Adde his, si placet, factum ipsius S. Franciſci, qui *Navarrus apud Greg. Abbatem ubi supra pag. 44.* aliquando *rogatus qua perrexisset quidam homicida, qui juxta eū transierat, respondit, non transisse illâc, intelligens, non transisse per illas manicas.* referente Navarro in Enchiridio cap. 12. 8. quem unicum ferè pro sua æquivacatione hodie citant Iesuitæ.

Etenim quid est, mentiri licere, si hoc non est? *Augustin. contra mendac. cap. 12. Id. de mendac. cap. 5.* *mendaciū est quippe,* ut definit Augustinus, *falsa significatio cum voluntate fallendi.* sive *falsum aliquid enunciare cum voluntate fallendi. Quapropter enunciationem falsam cum voluntate ad fallendum manifestum*

festum est esse mendacium. Quapropter etiam verè *ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significatonibus enunciat. unde etiam duplex cor dicitur mentientis, id est, duplex cogitatio: una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat & non profert: altera ejus rei quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans.* quemadmodum eleganter idem Augustinus docet in libro de Mendacio cap. 3. & 4. & 5. *Et utiq; verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciã, & non ad quod instituta sunt, peccatum est: nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo: possumus enim & furando aliquando alicui prodesse.*

Id. ibid. cap. 4.

Id. ibid. cap. 3.

Idem in Enchiridio. cap. 22.

Confirmatur quoque hæc veritas ex ipsis Pontificijs Iesuitisque, ubi magis sobrie, & præsertim extra hanc de Æquivocatione controversiam, materiam istam discutiunt: ita enim expressis verbis Maldonatus in Luc. 24. *Quisquis fingendo alium fallere conatur, etiamsi aliquid præterea significare velit* (uti fit in æquivocatione) *haud dubiè mentitur: alioqui nullum esset mendacium, quod ista ratione defendi nõ possit. Nihil enim tam falsum esse potest,* ait ipse quoque Azorius, *quod non queat ab omni mendacio liberari, si aliquid arbitratu nostro mente tantum retineamus; possemus enim quicquid fecerimus, quicquid viderimus, quicquid cogitaverimus, decreverimus, de eo rogati absque mendacio dicere, non fecimus, non vidimus, non cogitavimus, non decrevimus, eo nimirum sensu, vt tibi dicamus vel quod tibi dicere debeamus.* Directè contra exempla illa ex Tolleto supra à nobis proposita, & nominatim

Maldonatus in Luc. 24. Num. 36.

Azorius Tom. 1. Moral. l. 11. cap. 4. §. meo.

tim quidem contra illud de *muliere adultera*, & *de crimine proprio vel alieno*, Præterea sic expressè quoque Canus in locis Theologicis lib. 2. ca. 3. *Illud ponere debemus, mentiri nihil aliud esse, quam asserere falsum animo fallendi. Sic enim*, inquit, *Augustinus & Gelasius definierunt.* & anotat in margine eadem illa loca in Augustino, quæ jam ante à nobis in hanc rem ex eodem sunt producta: quamvis vitiosè quoad citationem.

Canus.

VIII. Sandæi Hypocrisis.

Octava Hypocrisis est, cum *pag. 20. & 23.* Protestantibus adscribis dogma de Regicidio, Tyrannicidio, & Principum internecione. Hoc ipso vos IESVITAS apertissimè teneri breviter demonstro, non jam variorum Principum ac Regum exemplis instinctû atque consilio Iesuitarum à parricidis ac sicarijs emissis interemtorum; non etiam ex varijs ac diversis Apologijs publicis, quas Iesuitæ pro Sicarijs & parricidis conscripserût atq; ediderunt; non denique ex variorum Sicariorum & paricidarum æternâ ac glorioſâ (si Dijs placet) Martyrizatione, quam in Ecclesia Romana ob facinus feliciter perpetratum acceperunt, & per quam in cælo Martyres sunt declarati, ac proinde in eorum etiam Cælitum numero collocati, qui publicè in Ecclesijs adorantur atque invocantur, fecimus id atque oculariter à nobis est demonstratum in priore nostro *Apologetico*, in Præfatione Dedicatoria. Sed brevitatis causa, & quia actum agere nolumus, argumento duplici, utroq; certo, atq; altero, etiam tibi Sandæe, omnium in hâc causâ efficaciſſimo.

Argumentum prius est, expressa doctrina Ioannis Marianæ Iesuitæ: Hic enim de Rege & Regis institutione lib. 1. cap. 6. re tota in utramq; partem multis prius disceptata, his verbis suam sententi-

am

am enunciat: *Principem publicum hostem declaratũ ferro perimere facultàs esto* CVICVNCQVE PRIVATO, *qui spe impunitatis abjectâ, neglectâ salute in conatum juvandi Rempublicam ingredi voluerit.* Sed inquit, *roges quid faciendum, si publici conventus facultas erit sublata, quod sæpe potest contingere.* & respondet. *par profectò, meâ quidem sententiâ, judicium erit, cum Principis tyrannide oppressâ Republicâ, sublatâ civibus inter se conveniendi facultate, voluntas non desit delendæ tyrannidis: qui votis publicis favens eum perimere tentarit, haud quaquã iniquè eum fecisse existimabo.* Et paulo post. *Ita facti quæstio in controversia est, quis merito Tyrannus habeatur: juris in aperto, fas fore Tyrannũ perimere.* nempe, uti dixit in superioribus, etiam *cuicuncque privato.* Nam quod ibidem statim subjungit, *neque enim id cujusquam privati arbitrio ponimus:* non ad ipsam internecionem Tyranni, sed ad judicium & declarationem Tyranni, hoc est, quis jure ac merito Tyrannus habendus sit, expresè refert: uti patet ex contextu: ita enim scribit, *neq; est periculũ ut multi eo exemplo in Principũ vitam sæviant quasi Tyranni sint: neq; enim id* (scilicet quod Tyranni sint) *in cujusquã privati arbitrio ponimus: non in multorũ; nisi publica vox populi adsit, viri eruditi & graves* (sine dubio etiam Iesuitæ) *in consilium adhibeantur.* *Mariana de Rege & Regis Instit. lib. 1. cap. 6.* *Idem ibidem.*

His quasi præstructis ita pergit in impio hoc dogmate: *Præclarè cum rebus humanis ageretur, si multi homines* (intellige privatos) *forti pectore invenirentur pro libertate Patriæ vitæ contemtores & salutis: sed plerosque incolumitatis cupiditas retinet, magnis sæpe conatibus adversa. Itaque ex tanto numero Tyrannorum, quales antiquis temporibus extiterunt, paucos quosdam numerare licet ferre* *Idem ibidem.*

SVORVM *periisse. In Hispania vix unum aut alterum. quamvis id subditorum fidei tribui debet, Principum clementiæ, qui Imperium optimo jure acceptum, modestè atq; humaniter exercuerunt. Est tamen salutaris cogitatio, ut sit Principibus persuasum, si Rẽpublicam oppressérint, si vitijs & fœditate intolerandi erunt, eâ conditione vivere, vt non jure tantum, sed cum laude & gloriâ perimi possint. fortassis is metus aliquem retardabit, ne se penitus vitijs atque adulatoribus corrumpendum tradat: frænos injiciet furori.*

Denique objectionem sibi movet ex Decreto Concilij Constantiensis, quod rejicit atque repudiat: *moveat fortassis ad extremũ*, inquit, *quod à Patribus Concilij Constantiensis, sessione quintadecima reprobatum est Tyrannum posse & debere occidi à* QVOCVNCQVE SVBDITO *non apertâ vi modo, sed etiam per insidias & fraude. Verũ*, inquit, *id decretũ Romano Pontifici Martino quinto probatũ non invenio, nõ Eugenio, aut successoribus, quorũ consensu Cõciliorũ Ecclesiasticorũ sactitas stat, ejus præsertim quod non sine Ecclesiæ motu, tricipiti Põtificũ dissidio de Sũmo Pontificatus contendentiũ, celebratũ fuisse scimus.*

Idem ibidem.

Subsequente vero capite septimô de modo occidendi disputat, ac speciatim, *An liceat Tyrannum* VENENO *occidere.* de quo sic disceptat & sentit: *Est quidẽ majoris virtutis & animi, si multatẽ aperte exercere, palam in hostem Reipublicæ irruere: sed nõ minoris prudẽtiæ, fraudi & insidijs locũ captare, quod sine motu cõtingat minori certe periculo publico atq; privato. Laudoq; Lacedæmonum institutũ Marti bellorũ præsidi gallo candido sacrificantium quidẽ, cũ collatis vexillis victoria parta erat. Cum autem ex insidijs aut æstu hostes vincebantur, optimum taurum mactabant. quasi prudentia & ratione, qua homines sumus hostes vin-*

Idem ibidẽ cap. 7.

vincere, exercitū incolumem servasse præstantius sit, quam viribus & robore, quibus à bestijs superamur: multa præterea effuso suorum sanguine. Quæstionem tamen habet, an par facultas sit veneno, herbisque lethalibus hostem publicum, Tyrannumque (idem enim judicium est) occidendi. De qua quæstione multis pro & contra allatis ipse sic statuit, *negamus hostem, quem fraude dedimus perimi posse, veneno interfici jure.* Ac tandem propriè ac strictè concludens sic ait: *Ergo me authore neque noxium medicamentum hosti detur, neque lethale venenum in cibo & potu temperetur in ejus perniciem. Hoc tamen tēperamento uti in hac quidem disputatione licebit, si nō ipse qui perimitur venenum haurire cōgitur, quo intimis medullis concepto pereat: sed exterius ab alio adhibeatur nihil adjuvante eo qui perimendus est, nimirum cum tanta vis est veneni, ut sella eo aut veste delibuta vim interficiendi habeat.* Hactenus Mariana.

Ex qua quidē postrema institutione fluxit, quod Iesuita Richardus Walpot, Socius Marianæ, anno 1597. Anglum Eduardum Squirre veneno instruxit, quod Reginæ Angliæ Elizabethæ, & Essexio nō edendū aut bibendum præberet, sed quo sellam ita inungeret, ut ex ejus contactu uterque moreretur. *Vide Mem. liga Tom. 4. pag. 15. & seq.*

Itaque quisquis ad stylum & verba Marianæ non hebescit, vel prorsus cæcutit, palam videt, eum probare atque expresè docere sceleratam atq; impiam doctrinam de Regicidio, Tyrannicidio, & Principum internecione. Sententia triplex est 1. Principem vel publicâ voce populi, vel ubi hæc deest, virorum eruditorum & gravium judicio tyrannum declaratū cuicuncq; privato fas esse ferro interimere. 2. licere interimere per insidias & fraude, sed nō veneno, aut lethalibus herbis quæ in cibo aut potu

tem-

temperatæ ad edendum vel libendum exhibentur. 3. licere tamen venere tali cujus tanta vis est ut eo sella aut vestris delibata vim interficiendi habeat, quæ singula manifesta sunt ex superioribus.

Fatetur quoque hanc doctrinam in Mariana satis disertè Iesuita Sebastianus Heissius in sua *Declaratione Apologetica ad Aphotismos doctrinæ Iesuitarum* pag. 161. Num. 96. Vbi ad objectum sibi Marianam duo respondet. 1. *utrumque*, inquit, *requirit Mariana: & vocem publicam populi, & eruditorum graviumque virorum directionem, sine qua præceps sæpe & inconstans plebis judicium ab erroris & injusti adversus Principem, furoris periculo securum haud fuerit.* Ergo ex doctrina & sententia Marianæ, etiam ipso Heissio interprete licet occidere Regem vel Principem, quando is vel publicâ voce populi, vel eruditorum, graviumque virorum directione pro tyranno est declaratus. 2. respondet, atque in ea responsione potissimum acquiescit, sententiam Marianam de Tyrannicidio non esse communem Iesuitis, sed privatam unius Marianæ, se quoque cum multis alijs ab eo dissentire: *imo*, inquit, *nec sententiam, quam Marianæ agnoscimus fuisse, Iesuitis communem sine mendacio dixeris: præsertim cum eam privatam, suam, propriamque nec adeo certam esse apertè protestetur. Ego sane meliorem pluriumque hunc sensum esse teneo, neminem privatum, extra necessitatem se suosve defendendi, manus inferre posse legitimo Principi, ante publicam judicialiter latam sententiam, quâ Tyrannus hostisque Reipublicæ declaretur, adeoque potestate, qua potiebatur, ab his quibus fas est, exuatur.* Ergo doctrina Marianæ ex interpretatione Heissij est, quemque privatum posse manus inferre le-

Sebastianus Heissius in Apolog.

Idem ibid. pag. 162. Num. 96. & 97.

e legitimo Principi, etiam absque publicâ judiciaiter latâ sententiâ, quâ Tyrannus est, declaratus. nempe sufficit illi vel *publica vox populi*, vel ubi illa leest, *eruditorum & gravium virorum directio ac onsilium*. uti vidimus in præcedentibus.

Interim videat tamen Iesuita Heissius quâ vel ide vel conscientiâ in loco allato affirmet sententiam illam Marianæ non esse *communem Iesuitis*, sed tantum vnius Marianæ *privatam* ac *propriam*, *nec adeo certam*; Cum illi ipsi libri Marianæ in quibus hæc ipsa sententia continetur, non tantum authoritate regia, sed à nonnullis quoque Iesuitis, *viris doctis & gravibus* atque adeo ab ipso Societatis Iesu visitatore potestate ipsius Generalis quam maximè commendati, & (juxta scilicet Approbationis in Ecclesia Romana stylum) tanquam * *nihil erroneum, & fidei orthodoxæ*, id est, Romanæ, *contrarium* continentes approbati sint.

* *Sic usitata est librorum Pontificiorum ac Iesuitarum approbatio.*

Fuit denique hic ipse Marianæ liber *De Rege & Regis institutione*, hoc ipso nomine, hoc est, propter hanc impiam ac sceleratam de Regum ac Principum internecione doctrinam, à Senatu quoque Parisiensi, quem vocant Parlamentum, præcedente Censura Facultatis ibidem Theologicæ, publico decreto anno 1610. ad ignem condemnatus, tanquam (verba sunt ipsius Decreti) *contenant plusieurs blasphemes execrables contre le feu Roy Henry 3. de tresheureuse memoire, les personnes, & Estat de Roys, & Princes souverains, & autres propositions contraires au Decret du sainct Concile de Constance: Que c'est heresie pleine d'impieté, de maintenir qu'il soyt loisible aux sujets ou estrangers, sous quelque pretexte ou occasion qui puisse estre, d'attenter aux Personnes sacrees des Roys & Princes souverains.*

verains. Titulus Decreti est: *Arrest de la Cour de Parlement, ensemble la Censure de la Sorbonne, contre le livre de Iean Mariana, intitulé De Rege & Regis Institutione*. Et in fine conclusio est: *la dicte Cour à ordonné & ordonne que le liure de Mariana sera bruslé par l'Executeur de la haute justice, deuant l'Eglise de Paris*, &c. Atque hactenus de Argumento primo.

Quemadmodum quoque, eôdem anno ab eodem Senatu Parisiensi similiter est condemnatus ac sub pœna criminis læsæ Majestatis prohibitus atque severè interdictus *Tractatus Bellarmini de potestate Summi Pontificis in temporalibus*: tanquam (verba sunt ipsius Decreti) *contenant une fausse & detestable proposition, tendante à l'eversion des puissances Souveraines, ordonnées & establies de Dieu, soustevement des sujects contre leur Prince, subtraction de leur obeissance, induction d'attenter à leurs* PERSONNES *& Estats, & troubler le repos & tranquilité publique*.

Alterum argumentum ex publicis Regum, Principum, ac Rerum-publicarũ, sive Senatuum de Iesuitis contestationibus, diplomatis, ac decretis consignatis: *quibus documentis*, ait ipse Sandæus, *nulla esse solent ad probandum efficaciora*. Et quidem publicum Decretum ac diploma Senatus seu Parlamenti Parisiensis consignatum, atque in publica Pyramide, hoc nomine erectâ, publicâ authoritate anno 1595. insculptum, & postea anno 1601. in albo Parisijs cum privilegio Regis impressum ita habet D. O. M. *Pro salute Henrici IIII. Clementiss. atque fortiss. Regis, quem nefandus parricida perniciosissimæ factionis hæresi pestiferâ imbutus, quæ nuper abominandis sceleribus pietatis nomen obtendens, un-*

Sandæus in Admonit. pag. 13. & quidem in hac ipsâ disputatione de Nece Principum.

Decretum Parlamenti Parisiensis contra Iesuitas.

cte-

ctos, Domini, vivasque Majestatis ipsius imagines occidere populariter docuit, dum confodere tentat, cælesti numine scelestam manum inhibente, cultro in labrum superius delato, & dentium occursu feliciter retuso violare ausus est, Ordo Ampliss. ut vel conatus tam nefarij pœnæ terror, simul & præsentissimi in Opt. Principem ac Regnum, cujus salus in ejus salute posita est, divini favoris apud posteros memoria extaret, monstro illo admissis equis membratim discerpto, & flammis ultricibus cõsumpto, Ædes etiam unde prodierat, hoc sitas funditus everti, & in earum locum salutis omnium ac gloriæ signum erigi decrevit.

Audi, Sandæe, & attende: dicunt Ordines in hoc Senatusconsulto, Iesuitas *populariter docere, unctos Domini*, id est, Reges, *occidere*. & hoc tentasse in Henricum 4. Galliarum Regem parricidam Castellum hac ipsa Iesuitarum *pestiferâ hæresi imbutum* cupis quid amplius? excipe Monumentum alterum, quod verbo-tenus sic sonat: D. O. M. Sacrvm. *Cum Henricus Christianiss. Francorum & Navarror. Rex bono Reip. natus inter cætera Victoriarum exemplа quibus tam de Tyrannide Hispanica, quam de ejus factione priscam regni hujus majestatem justis ultus est armis, etiam hanc urbem & reliquas regni hujus pene omnes recepisset, ac denique felicitate ejus intestinorum. Franciæ nominis hostium furorem provocante; Ioannes Petri F. Castellus ab illis submissus sacrum Regis caput cultro petere ausus esset, præsentione temeritate, quam feliciore sceleris successu: eam rem ex ampliss. Ordinis consulto, vinculato perduellione, dirutâ Petri Castelli domo, in qua Joannes ejus F. inexpiabile nefas designatum Patri*

Decretum alterum.

communicaverat, in area aquata hoc perenne monumentum erectum est, in memoriam ejus diei, in quo seculi felicitas inter Vota & metus Urbis, liberatorem regni, fundatoremque publicæ quietis à temeratoris infando incœpto, regni autem hujus opes adtritas ab extremo interitu vindicavit, pulso præterea totâ Galliâ hominum genere novæ ac malefica superstitionis, qui Remp. turbabant, quorum instinctu piacularis adolescens dirum facinus instituerat.

Audi rursus, Sandæe: dicunt Ordines, quod Castellus Iesuitarum *instinctu dirum illud facinus instituerat.* & quod eâ ipsâ de causâ universa Iesuitarum Societas *totâ Galliâ pulsa est.* Quod idem plenius ac planius habet ipsa sententia contra Castellum latâ his verbis: *Pour reparation duquel crime ladite Cour à condemné & condemne ledit Jean Castel à faire amende honorable devant la principale porte de l'Eglise de Paris, nud en chemise, tenant une torche de cire ardente du poiz de deux livres, & illec à genoux dire & declarer: Que malheureusement & proditoirement il à attenté ledit tres-iahumain, & tres-abominable parricide, & blessé le Roy d'un couteau en la face: & par faulses & damnables instructions il à dit audit procez, estre permis de tuer les Roys, & que le Roy Henry* IIII *à present regnant n'est en l'Eglise jusques à ce qu'il ait l'approbation du Pape.* Et paulo inferius: *Ordonne ladite Cour, que les Prestres & Escoliers du College de Clermont, & tous autres soy disans de ladite Societé, comme corrupteurs de la jeunesse, perturbateurs du repos public, ennemis du Roy & de l'Estat, vuideront dedans trois jours, apres la signification du present Arrest, hors de Paris, & autres Villes & lieux ou sont leur Colleges, & quiconques*

Proscriptio Iesuitarum ex Regno Gallia.

raine apres, hors du Royaume: sur peine ou ils seront trouvez ledit temps passé, d'estre punis comme criminels & coulpables dudit crime de Leze Majesté.

Iterum hic audi, Sandæe, & si vel mica pudoris in te reliqua, erubesce: confessus est Castellus, in Examine, vestræ Societatis discipulus, *falsâ & damnabili instructione* a vobis Magistris suis instructus, *permissum esse occidere Regem:* & condemnati estis vos Iesuitæ propter impiam hanc ac sceleratam vestram doctrinam publico Senatus Decreto, & totâ Galliâ pulsi *tanquam corruptores juventutis, perturbatores pacis publicæ, & hostes Regis ac Regni.* Sicuti similiter etiam legitur in versibus eidem Pyramidi ac Monumento publico incisis, & subjunctis: in quibus sic ipsa loquitur Pyramis.

Audi viator, sive sis extraneus,
Sive incola Urbis quoi Paris nomen dedit.
Hic alta quæ sto Pyramis, domus fui,
Castella, sed quam diruendam funditus
Frequens Senatus crimen ultus censuit.
Huc me redegit tandem herilis filius,
Malis MAGISTRIS *usus, & Scholâ impiâ*
Sotericum, eheu, nomen usurpantibus, &c.

Secundo loco jam audiatur contestatio Regis ac Senatus Angliæ, quæ qualis fuerit, videre est in ibro anno 1607. à Typographo Regio Londini mpresso, cui hic est titulus, *Actio in Henricũ Garetum Societatis Iesuitica in Anglia Superiorem, & ateros qui proditione longè immanissimâ Serenis-*

Decretum Regis & Regni Angliæ contra Iesuitas.

...rum Britanniæ Magnæ Regem & Regni Angliæ Ordines pulvere fulminali è medio tollere conjuraverunt. In ipso autem contextu universa illa proditio vocatur *proditio Iesuitica, vt ad Iesuitas ex congruo & condigno spectans: hi enim,* inquit author, *architecti & machinatores extiterunt, & vero in hujusmodi criminibus plus peccat author, quam actor.*

Actio in Garnetum pag. 66.

In ipso vero Supplicio de Garneto Iesuitâ sumptô, hæc quatuor memorantur, quæ inter alia Rex Iacobus habuit propria ipsius Garneti manu consignata: *1. Greenwellum illi rem significasse non vt peccatum, sed quam ipse prius intellexerat, idque consultandi gratiâ. 2. Catesbejum & Greenwellum ipsum accessisse vt in scelere suscepto confirmarentur. 3. Testmondum & ipsum colloquium de particularibus in proditione illa per pulverem fulminalem satis longo post tempore in Essexiâ habuisse. 4. Greenwellum interrogasse Garnetum, quis Regni protector futurus erat? Garnetumque respondisse, id differendum esse donec res esset acta & transacta.*

In supplicio Garneti pag. 2. & 3.

Quæ sanè omnia ac singula ipsum Garnetum immanissimæ istius proditionis non modo conscium fuisse evincunt, hoc est, in Confessione auriculari eam intellexisse, sed etiam verè reum. Et tamen nequicquam Iesuitas puduit, non solum Apologiam pro Garneto conscribere atque in lucem dare, sed etiam Martyrij laurea coronatum, Iesuitarum Martyrum Catalogo eum publicè inserere atque adscribere.

Directè equidem etiam contra expressam ipsius Garneti ultimam paulo ante mortem testatam voluntatem: Nam *paucis diebus priusquam ultimus lux Garnetto illuceseeret* (rem narrat doctissimus

Casa-

Casaubonus) *venêre in Arcem, & cubiculum ipsius aliquot è præcipuis Regni totius Theologis, unà cum viro nobili Arcis Præfecto; quos inter hi quoque erant; Doctor Iacobus Montacutus, Decanus tum Regij Sacelli, nunc Episcopus Bathonienſis & Welenſis; Doctor Neilus Sacellanus tum Regius, regiique Oratorij Clericus & Weſtmonaſterienſis Decanus, nunc Episcopus Lichfeldenſis, & Doctor Ioannes Oueralus, Decanus Ædis Paulinæ Londini; doctrinâ, humanitate, & pietate viri omnes præſtantiſſimi. Hi unâ cum Garnetto multa quum eſſent locuti, fortè evenit, vt unus ipſorũ quæſtionem hanc illi proponeret; Si poſt ſupplicium Eccleſia Romana Martyrem ipſum declararet, ecquid factum laudaret, & verum Martyrem futurum ſe crederet? tum ille exalto ſuſpirium trahens, humeroſq; adducens; Martyrem me? inquit, ô qualem Martyrem! Sed neq; Eccleſia hoc faciet, & ego Deum oro, ne hujus unquam illi in mentem veniat. Equidem ſi pro religione Catholica mortem obirem, neq; aliud, infelix, ſciviſſem, præter illa quæ per viam Confeſſionis ſcivi; poteram fortaſſis honore Martirij non indignus videri, & judicium Eccleſiæ promereri. Nunc ego peccatũ agnoſco meum, & ſententiam, quæ adverſus me eſt pronunciata, fateor eſſe juſtiſſimam. Deinde iterum atque iterum ſuſpiria ingeminans; & pœnitentiæ non ſimulatæ ſigna exhibens; Vtinam, inquit, quæ facta ſunt poſſem infecta reddere. Vtinam quivis alius mihi potius accidiſſet caſus, quam vt nomen meum proditionis infamia deturparetur; quod tamen peccatum, etſi graviſſimum, per veram pœnitentiam ſpero delendum, & Chriſtum mei miſerturum. Ego certè ſi vel univerſum orbem terrarum in poteſtate mea haberem, univerſum lubens darem, vt à pro-*

Caſaubonus in Epiſtolâ ad Ducaum Ieſuitam, pag. 162. 163. 164.

 ditionis

ditionis crimine, quod conscientiæ meæ impressum est, quodque in elogio meæ condemnationis extabit, purus mori possem. Hanc ego historiam, addit Casaubonus, *scitu dignissimam, quum à Decano Paulino antiquæ pietatis viro, Angliæ suæ singulari ornamento, in familiari colloquio didicissem; eademque mihi postea ambo Reverendissimi Episcopi, quos interfuisse colloquio ostendimus, narrassent; putavi faciendum vt illam tecum communicarem.*

Decretum Ordinum Bohemiæ & Vngariæ cõtra Iesuitas.

Tertio loco publicis hisce Regum atque Ordinum, Galliæ & Angliæ, contestationibus ac diplomatis adjungatur etiam nuperrimum Decretum Ordinum ac Statuum utriusque Regni Bohemiæ & Vngariæ, per quod Iesuitæ utrôque isto Regno proscribuntur, inter alias causas, etiam quia, ita

Sandæus Admonit. pag. 17.

referente quoque ipso Sandæo, *Homicidæ cuilibet, aut subdito jus transcribant, Reges & unctos Domini invadendi, atque ad id facinus perpetrandum, animos eorum pollicitationibus vitæ æternæ acquirendæ, aut evadendi purgatorij accendant.* cujus plenior demonstratio videre est in dissertatione illâ, quæ *Relatio Proscriptorum Iesuitarum ex Regnis Bohemiæ & Vngariæ*, inscribitur, pag. 9. & 14.

Itaque jam satis firmiter & solide, ut opinor, demonstratum est, docere Iesuitas doctrinam de Regicidio, Tyrannicidio, & Principum internecione. Et cum veritatem ejus ejusmodi etiam documentis adstruxerim, *quibus*, ut tu ipse ais, in hac causâ *nulla esse solent ad probandum efficaciora*; quæ

Sandæus Admonit. pag. 13.

ergo conscientia idem tu, Sandæe, hoc ipsum in me affirmes esse apertum mendacium, & quidem *mendacium spissum, dolosum, palpabile, studiosum atque ex proposito, refragante mentis notitia* mendaciter à me vobis in *Apologetico* adscriptum? qui

Ibid. pag. 8. & 11.

conscien

conſcientiâ? non niſi Ieſuiticâ, id eſt, cauteriatâ. penes lectorem judicium eſto.

Nona Hypocriſis eſt, cum pag. 96. ſcribis, à Proteſtantibus *& doceri & probari laxiſſimam ſcelerum omnium licentiam.* Id in vobis locum habere manifeſtum eſt ex apertis quibuſdam veſtrorum Doctorum dogmatibus, quæ ex multis aliqua hic bona fide ſubjicio. IX. *Sandæi Hypocriſis.*

Docetis non eſſe peccatum defferre pœnitentiam, nec teneri hominem protinus agere pœnitentiam: ita enim docet Canus in Relectione de pœnit. parte 4. *Non tenetur homo protinus agere pœnitentiam* Item. *Non eſt peccatum pœnitentiam differre.* Item. *Præceptum de pœnitentia obligat in articulo neceſſitatis*, id eſt, *mortis.* Item. *quocirca tunc ſolum peccatum erit pœnitentiam non agere, cum quis eo tempore pœnitentiam non agit, quo ex præcepto agere tenebatur*, nempe, *in articulo neceſſitatis.* Directè contra *Hebr. 3. 13. & Pſal. 95. 8.* *Canus §. primum.* *Idem ibid. §. jã quinti.* *Idem ibid. §. fit igitur.* *Idem ibid. §. at præceptum.*

Docetis item licere aliquando uti æquivocatione & per juramentum quoque decipere audientem: ita enim docet Tolletus de Inſtruct. Sacerd. lib. 4. cap. 1. de quo dogmate actum eſt ſupra in *Hypocriſi 7.* Directè contra *Pſal. 15. 3. 5.* *Tolletus.*

Docetis item, non eſſe furtũ ſi quis pauper ex neceſſitate rem alienam capiat inſcio atque invito Domino: ita enim docet Maldonatus in Summa quæſt. 8. Art. 3. Azorius Tom. 1. Moral. lib. 1. cap. 3. & Bellarminus de Matrim. cap. 17. Art. 21. *Pauper extrema neceſſitate rem alienam capiens non facit furtum. Furari malum eſt, ſed ſi quis extrema neceſſitate preſſus aliquid ex bonis alterius ſibi capiat, ut ſuam vitam tueatur, non eſt malum: quia tunc non* *Maldonatus.* *Azorius §. quartò.* *Bellarminus.*

modò non peccatum, sed nec furtum est appellandum, Directè contra *prov.30.8. 9.& 6.30.31.*

Docetis item, non peccare mortaliter cum quis motu repentino correptus, vt irâ aut aliâ motus passione vel in Deum profert blasphemiam, vel in proximum verbum contumelioſum, vel etiam occidit alterum, etiam cum intentione occidendi: ita enim docet Tolletus ubi supra lib. 5:cap.6. *Cum aliquis motus repentino correptus, adeo vt non sit rationis compos, alterum occidit, à peccato mortali liber est, nisi consensus in facto post sequatur.* Rursus. *Cum quis repentinâ irâ correptus præfert verbum contumelioſum, licet adsit deliberatio, tamen cum vel injuria levis est, vel inter personas fit parvi momenti, vt inter mulierculas, quæ sæpe rixari solent & multa convitia invicem jactare, aut inter servos & famulos, non est peccatum mortale.* & rursus. *Cum homo irâ aliquâ, vel aliâ motus passione, non advertens verba quæ proferebat, protulit blasphemiam, non semper est peccatum mortale.* Directè contra *Eph. 4. 25. Exod.20.13. Math.5.22. 1.Pet.3.9.*

Tolletus Tertia causa. §.

Idem ibid. cap. 9. §. primus & seq.

Id. ibid. lib.4.cap.13 §. circa peccatum.

Docetis item, magis peccare Sacerdotem vel Monacham quæ post votum nubit, aut qui uxorem ducat, licet verum contrahat matrimonium, quam qui assidue fornicatur, aut plurimas domi concubinas alit: atque adeo peius esse nubere quam uri: ita enim docet Bellarminus de Monachis cap.30. & 34. *utrumque est malum, & nubere & uri, imo pejus est nubere.* Rursus. *quæ nubit post votum, illa verum matrimonium contrahit, tamen magis peccat quam quæ fornicatur.* & Rursus. *majus est malum post votum nubere, quam assiduè fornicari.* Nec minus expresè Costerus in Enchiridio Art. de Cælibatu: *Sacerdos si fornicetur, aut domi concubinam*

Bellarm. cap.30. Art.29.

Idem ibid. Art.30.

Idem ibid. cap.34. Art.54.

Costerus in Enchir. §. Nona.

cubinam foveat, tametsi gravi sacrilegio se obstringat, gravius tamen peccat, Ecclesiam gravius vulnerat, & inverecundius scortatur, si contrahat matrimonium. Directè contra *1. Cor. 7. 2. 9. Hebr. 13. 4. 1. Tim. 3. 2. 4. Tit. 1. 6.*

Docetis item, non esse peccatum si quis desideret deliberatè habere pollutionem voluntariam, id est, voluntariam seminis emissionem absque copulâ, ob finem bonum: scilicet ob sanitatem, aut ad levandas carnis tentationes, quibus interdiu affligitur: ita enim docet Tolletus ubi supra lib. 5. c. 13. *Si quis desideraret deliberatè habere pollutionẽ ob finem bonum, scilicet sanitatem, vel ad levandas carnis tentationes quibus interdiu affligitur, non esset peccatum secundum Novarrum Cap. 16. Num. 7. quamvis Soto 4. dist. 12. quæst. 1. Art. 7. non probet: tamen magis placet Navarri opinio.* Directè contra *Exod. 20. 16. Deut. 5. 21. Rom. 7. 7. & 1. Cor. 6. 9. 10.* *Tolletus §. primò.*

Docetis denique, vt finem faciam (quis enim enumeraret singula?) licere aliquando minuere mensuram, & parum aquæ vino admiscere, & vendere pro puro vino, & pro completa mensura, justum exigendo pretium: nec non similiter quoque unam mercem vendere pro alia: ita enim docet idem ipse Tolletus de septẽ peccatis mortalibus cap. 49. *Est aliquis qui justo pretio non potest vendere vinum, vel propter iniquitatem, vel propter emptorum malitiam qui conveniunt inter se vt pauci emant, ad remittendum protium, vel propter aliam aliquam causam rationabilem; tunc iste potest minuere mensuram, aut parum aquæ miscere, & vendere pro puro, ac pro completâ mensurâ, dummodo non dicat mendacium quod si dicat; non erit pernicioſum nec mortale, nec obligans ad restitutionem. Similiter. Aliquis habet* *Idem de pec. mort. §. quarta.*

habet sericum Granatense, quod verè æquat bonitatem alterius serici; tunc si non potest vendere justo pretio, licet pro eo serico, quod petitur, vendere, non tamen mentiendo, vt diximus. Eodem modo licet aliquando latinum pro Græco vendere & alias similiter merces. Directè contra *Rom. 3. 8. 1. Thess. 5. 15. Proverb. 20. 22. Rom. 12. 16. 21. Levit. 19. 35. 36. Ezech. 45. 10.*

Possetne Turcismus majorem dare ad omne flagitiorum genus perpetrandum licentiam? Omitto disertam atque explicitam illam Claudij Espensæi Theologi Parisiensis & Pontificij confessionem:

Espensæus in Tit. Digress. 2. pag. 67. *Prostat & in quæstu pro meretrice sedet liber palam & publicè impressus, & hodieq; vt olim venalis, Taxa Cameræ, seu Cancellariæ Apostolicæ inscriptus, in quo plus scelerum discas, quam in omnibus omnium vitiorum Summistis & Summarijs, & plurimis quidem* LICENTIA, *omnibus autem absoluto* EMPTVRIENTIBVS *propositâ.* & mox de eâdem Taxâ.

Idem ibid. *Mirum hoc tempore, hoc schismate non suppressum tot tamq; fœdorum, tamq; horrendorum scelerum velut indicem adeo infamem, vt non putem in Germania, Helvetia, & ubicunq; à Romana sede defectum est, opus prostare majore hujus scandalo; Et adeo tamen non supprimitur ab Ecclesiæ Romanæ fauissoribus, vt tantorum ac talium facinorum* LICENTIA *ac* IMPVNITATES *in facultatibus legatorum illinc huc venientium bona ex parte innoventur, atque confirmentur,* &c.

Sandæus in Castig. liberalit. Iesu. pag. 278. Deleri quidem ista (quæ tua, Sandæe, futiles alibi exceptio est) in Espensæi scriptis decreverunt Patres Censorij in Indice suo Expurgatorio: Sed an ideo, quia vera non dixit Espensæus? an ideo quia tantæ ac tam manifestæ omnium scelerum licentiæ

centiæ Romanam Ecclesiam vero puduit? minimè gentium: sed potius, quia, antiquus sermo est, *veritas odium parit:* Et verè dixit Christus *omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera ejus.* Nunquam Taxa illa vel suppressa, vel damnata, vel prohibita: Sed & hodie vim suam obtinet. *Ioan. 3. 20.*

Decima Hypocrisis est, cum *pag. 39. 40. 58. 59.* Protestantes scribis esse injurios in Sanctos Patres Veteres eorumque authoritatem arroganter rejicere atque contemnere. Excipe quædam vestrorum dicta, & vos Iesuitas hoc ipso crimine teneri ingenuè confitere: *Patres*, inquit Duræus, *non censentur Patres, cum suum aliquod dogma quod ab Ecclesia non acceperunt vel docent vel scribunt.* dogma nimirum intellige quod cum fide Ecclesiæ Romanæ non consentit. *Ecclesiæ Pater*, inquit Gretzerus, *ille dicitur, qui Ecclesiam salutari doctrinâ alit & pascit, qui super familiam Domini constitutus, dat ei in tempore tritici mensuram; jam ergo si pro salutiferæ doctrinæ pabulo, & pro mensura tritici offerat & admetiatur lolium & Zizania, & perversorum dogmatum lappas & tribulos eatenus non pater est, sed vitricus, non Doctor, sed seductor.* Per lolium, Zizania, lappas & tribulos hic iterum intellige dogmata fidei Ecclesiæ Romanæ minus consona.

X. Sandæ Hypocrisis.

Dureus contra VVithak fol. 140.

Gretzerus de prohib. libr. lib. 2. cap. 10. §. fateris.

Porro objicitur à Protestantibus contra immaculatam Mariæ Virginis conceptionem, & ab omni prorsus peccato, tum originali, tum actuali realem præservationem, quam docet ac tenet Ecclesia Romana, universa antiquorum Patrum turba: & *primo* quidem multitudine agunt Protestantes, usque ad numerum etiam 200. respondet Salmeron, *locum ab authori-*

Salmeron Iesuita in Rom. 5. disp. 31. in initio.

authoritate esse infirmum, & vt prudens quidam pastor dixit, pauperis est numerare pecus. Item. *contra hanc quam objectas multitudinem, respondemus verbo Dei Exod. 23. In judicio plurimorum non acquiescas sententiæ ut à vero devies.* Agunt *deinde*, authoritate, & quæ antiquis Patribus debetur reverentiâ:

Idem ibid.

respondet idem Salmeron, *Totam devotionem non consistere in Bernardo, Bonaventurâ, & alijs Patribus.* Item. *Non rationum efficaciam, quæ omni authoritate præstare dignoscitur, in contrarium objicimus.* Agunt *tertio* antiquitate, & ipsorum Patrum

Idem ibid.

vetustate: respondet idem Salmeron, *quamlibet ætatem antiquitati semper detulisse, & quilibet senex, vt quidam Poëta dixit, laudator temporis acti; sed illud asserimus, quo juniores, eo perspicaciores esse doctores.* Item. *Non omnibus omnia dedit Deus, vt qualiber ætas suis gaudeat veritatibus, quas prior ætas ignoravit.*

Maldonatus in Ioan. 8. 56. Num. 129. 130.

Denique sic expressis verbis Maldonatus in Ioan. 8. *Vereor ne arrogantis interpretis esse videatur, à tot tamque gravibus authoribus dissentire: sed minimè arrogans videri debet, moderatè dicere quid sentias: hoc enim ipsi illi cum scriberent facere solebant.* Nec non expressius Canus in locis Theo-

Canus lib. 5 cap. 5. §. verum.

logicis lib. 5. cap. 5. *Nego cum de fide agitur, sequi plurimorum judicium oportere: nec hic, vt in humanis vel electionibus vel judicijs, numero suffragiorum metimur; scimus frequenter usu venire, vt major pars vincat meliorem: scimus non ea semper esse optima quæ placent pluribus: in paucis aliquando citius, quam in multis salvat Dominus.*

Quare idem rursus Canus ibidem lib. 7. cap. 1. contra conceptionem Virginis Mariæ in peccato originà-

riginali, omnium sanctorum Patrum authoritate munitam, sic scribit: *Sancti* OMNES, *qui in ejus rei mentionem inciderunt,* VNO ORE *asseverarunt, beatam Virginem in peccato originali conceptam, & cum* NVLLVS *Sanctorum contravenerit, infirmum tamen ex* OMNIVN *authoritate argumentum ducitur; quin potius contraria sententia & probabiliter & pie in Ecclesia* (Romana) *defenditur.* *Idem lib. 7 cap. 1. Num. 2. §. Sancti.*

Adde his coronidis loco breve, sed illustre tamen, Didaci Stellæ dictũ Tom. 2. in Luc. 10. pag. 15. ubi à Patrum interpretatione ipse discedens, hoc pacto se excusat, *bene scimus Pyghmæos Gigantum humeris impositos plus quam Gigantes ipsos videre.* Fusius hæc tractavimus & demonstravimus in nostra Demonstratione de *Cauteriata Iesuitarum Conscientia* cap. 3. Art. 3. & 4. ibi videat, qui plura desiderat. *Stella in Luc. super verba illa Christi, confiteor tibi Pater.*

Undecima Hypocrisis est, cum *pag. 116.* blasphemare Paulum Apostolum me dicis, eo quod in prædictâ mea *Demonstratione* cap. 1. Art. 1. pag. 2. atque etiam in ejus *Apologetico* pag. 45. scripserim: *Protestantium de justificatione hominis coram Deo sola fide sine operibus legis assertio, si hæretica est (absit verbo blasphemia) hæreticus ipse Paulus; si Simoniana, ipse Paulus Simonianus. Scilicet,* inquis, *blasphemare licet cum blasphemia exceptione.* *XI. Sandei Hypocrisis.*

Ego vero istis verbis quam minime blasphemarum ibidem ostendi, additâ manifestâ ratione: *quia eam Paulus totidem ferè verbis enunciat Rom. 3. 28. in qua ejus assertione nihil aut contrarium aut aliquatenus diversum à superiore Protestantium.* Nunc vere, si hoc crimẽ est, eodẽ accusatum atq; convictũ teneo Iacobũ Reihingh, & Bellarminum Iesuitas. Vterque enim ad certam ac infallibilem fidei Romanæ

manæ veritatem declarandam simili prorsus modo illud ex Richardo de S. Victore libenter usurpavit: *Domine, si error est, â te decepti sumus.* sive, ut Bellarminus ejus verba refert, *Si error est quem tenemus, tu Domine nos decepisti.*

Iac. Reilingh. in Muris Civit. 5. fundam. 11. pag. 296.

Bellarminus in Conc. de gloria Miser. sub finē.

I nunc, Iesuita, Sandæe, & nobis Protestantibus verè Catholicis atq; orthodoxis invidiosè objectare perge, Hypocrita, nos docere, *mentiri non modo licitum esse, sed nonnunquam necessarium; Reges & Principes licitè posse à quocunq; privato interimi; laxissimam scelerum omnium licentiam*; ac denique nos *antiquos Patres universè contemtim rejicere, & authoritatem eorum tumide elevare.* quorum omnium & singulorum vosmetipsos reos esse, nos innoxios, jam hactenus comprobatum dedimus. Quis non miretur in Sandæo Iesuita incredibilem Iesuitarum audaciam & impudentiam! Sed mirari noli, lector, vel desine: *ita est hæreticorum ingenium, ut se suo, quo laborant, vitio non putent esse affines nisi illud prius in alium detorserint. dolosa & vafra*, ait de hæresi Ariana Athanasius, *speciem suā dissimulat.* Itaque occupant præloqui Iesuitæ, & accusare qui accusandi, ut delationis prærogativa innocentes audiant, quos domesticus torquet carnifex, nec sinit innoxios. Bene autem, quod omnia tempus revelat, sed veritatem maxime, licet tenebris nonnunquam supra Ægyptias involutam, altéque mersam.

Lindanus Panopl. lib. 4. cap. 7. in fine.

Athanasius in Orat. 2. contra Arianos.

Atque ita ostenso hactenus per singula capita Monitoris Sandæi multiplici *mendacio, malitiâ, insscitia, fraude, & hypocrisi*; jam universæ quoque ipsius *Admonitionis* robur per se corruit, & patet cui vis ejus vanitas ac nullitas: quid enim valeat ve apud quem integri cerebri Admonitio mendax malitic

malitiosa, imperita, fraudulenta, hypocritica? Quapropter sedulo te, Sandæe: hortor moneoque, ut si in posterũ vel Monitorem agere pergas, vel Castigatorem, magis sincerè agas cum adversario adversus quem disputas, & bonam in omni scripto conscientiam probes: absque omni prorsus mendacio malitiâ fraude vel hypocrisi; absque omni etiam verborum infectatione, maledicentia, aut convitiandi libidine; modestè dicas quod dicendum, verè accusa, & redargue amicè Veritas natura sua simplex est, & ab omni fraude, dolo, simulatione, ac mendacio penitus aliena. *Non amat falsum author veritatis Deus, adulterium est apud illum omne quod fingitur.* Ea religio suspecta est merito, cujus propugnatores utuntur dolo malo, fraudibus & mendacijs ad eam propugnandam: Vera enim religio hujusmodi subsidijs non eget, sed falsa, quæ cum veris solidisque rationibus sit destituta, necesse est ut ponat mendacium spem suam. In omnibus turpe & ignominiosum est mendacium, sed præsertim in rebus fidei adeo contumeliosum, ut planè sacrilegium dici mereatur, & quicuncque confessionem suam mendacijs promovere satagit, hoc ipso infallibiliter declarat, se non à Deo veritatis fonte, sed mendacij Patre duci. Mendacium cum ab omni alio, tum præsertim à Theologico congressu exulare debet. Noli etiam in posterum, Sandæe, quod si scribere sit in votis, victoriam in convitiandi arte sitam esse arbitrari: scurrarum est convitijs contendere, non Doctorum, & libenter in hac orchestrâ victoriam concedimus vobis Iesuitis. *Ista machina*, ait Hieronymus, *hæreticorum sunt ut convicti de perfidiâ ad maledicta se conferant.* Et certamen hoc illius genij esse verè dixit Demosthenes,

Tertullian. de spectaculis circa finem.

Hieronym. Apolog. adverſ. Ruff. circa finem.

in quo qui superior evaserit, inferior est, & qui vicerit, victus est. Quod si tibi convitijs & maledicti causam agere stat animus, ego vinci quam vincere in hoc duello mihi ducam gloriosius & superari, quam superare malum pro malo non reddam, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario, mansuetudine pugnabo & lenitate qua nihil robustius.

1. Pet. 3. 9.

Et sancti Chrysostomi, quod probo sequare monitum: *Si qui sunt qui male nobis afficiuntur, non magis eorum attendamus iram, sed magna mansuetudine & humilitate, tam verborum quam operum reprimamus eorum inimicitias, & afflictas eorum curemus animas. Nihil enim mansuetudine. Nam sicut rogum cum valdè accenditur, aqua injecta restinguit: ita animum crimine magis exardescentem verbum cum mansuetudine prolatum extinguit. Non potest igne ignis extingui, repugnat enim hoc naturæ: Sic nec furor furore alio demulceri poterit unquam, verùm quod igni est aqua, hoc est iræ mansuetudo & mititas. Non quæramus igitur ubique victoriam, nec semper superari vereamur. Est enim quando victoria detrimentum, offensio emolumentum adducit. Qui enim lædit superare læsum videtur, sed perniciosa sibi victoria superat: læsus autem si magno animo perfert injuriam, quanquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Sæpenumero ergo vinci quam vincere præstantius est: optimus profectò iste victoriæ modus est. Quæ omnia non ignorantes, hanc victoriam quæ à patientia originem trahit totis viribus persequamur: illam diligentissimè fugiamus quæ ab inferendâ nascitur injuriâ.*

Chrysostomus Rom. 59. in Genes.

Idem Hom. 85. in Matth.

Hieronymus in Ierem. lib. 5. in proœmio.

Veritas claudi & ligari potest, vinciri non potest: quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hostium non terretur.

Errata sic corrigito, prior numerus paginam, posterior lineam indicat.

Pagina 5. linea 18. lege virtutes 8.2-tiri 12.11. minus 13.6. vltio 17. correctio 14.15-bas 21.2. hære-26. 19-bole 27.5. ticum 29 23-brum 30.5. Ista 6.do-31. fero 32. 7-dæ 14.ne di-19.-nilia 26-uisus 34.30. qui 40.26-bitur 41.23.-gare 42.10.-gante 18 -meque 43. 11.-pulus 26.-gister 44. 21.ro-46.3.pro-13-ciens 17.dicet 47.1. Au-4.-dicos 48.10. del punctum post te 12-nuinum 50.2.-temptum 53.10 dele in 5.21.quæ 56.12.-legio 60. 5.-sererę 61. vlt. ferro 62.28. fraude 64.1.biben-2.-neno 3.vestis 79.28.-marim.